



Prilog [Additamentum]

Pseudo-Dionysii Areopagitae formula christologica celeberrima de Christi activitate theandrica.

Pseudo-Dionysii Areopagitae formula christologica de nova quadam Christi activitate theandrica, tum interpretatione Patrum, Scholasticorum et recentiorum theologorum obiectiva, tum nova, subiectiva lucubratur.*

Dr. Josephus Marić, prof. ord.

Praesentem quoque dissertationem de nova quadam Christi activitate theandrica, a Pseudo-Dionysio Areopagita proposita, tamquam Quaestionem praeviam ad Novam Apologiam Honorii I. papae praemittimus eam sane ob rationem, quod Monothetae, ut concilium Lateranense a. 649. et Constantinopolitanum oecumenicum sextum a. 680. testantur, doctrinam de una Christi activitate theandrica probare cupientes, Theodosianorum seu Severianorum et Themistianorum vestigia secuti ad eundem Dionysium provocabant.¹

Ceterum-ait enim Pseudo-Dionysius ad Caium quendam monachum-neque divina secundum Deum neque secundum hominem perfecit (Christus) sed utpote Deus homo factus, novam activitatem theandricam nobis manifestabat.²

* Eadem dissertatio, quoad substantiam exarata anno elapso 1931. dedicata est metropolitae et archiepiscopo Zagrebiensi Antonio Bauer sequentibus verbis: Excellentissimo ac Illustrissimo Domino, Domino Antonio Bauer, metropolitae et archiepiscopo Zagrebiensi, theologiae doctori, regiae universitatis Zagrebiensis emer. rectori magnifico, academiae scientiarum Slavorum meridionalium protectori, qui ingenti cum concursu et plausu cum totius coetus Episcoporum, tum populi non solum Croatiae, sed etiam vastae Jugoslaviae catholicae, duobus abhinc annis quinquagesimum annum sui sacerdotii concelebravit — quique in scientiis theologicis nec non philosophicis excolendis studiosissimus, in sanctae ecclesiae iuribus defendendis vigilantissimus, ac in vita christiana fovenda et promovenda fervidissimus, hodie, in festivitate divi Francisci Salesii, meritis plenus Deo favente, quintum archiepiscopatus sui inchoat lustrum. — Professori praeclaro in perenne filialis amoris testimonium gratissimus discipulus et auctor.

Theodosiani vero seu Severiani, quibus et Themistiani adnumerandi sunt, in capite septimo Unionis Alexandrinae, ad quam secundum ea quae in Praefatione ad Primam Quaestionem praeviam diximus, a Cyro, patriarcha Alexandrino saeculo septimo, anno scilicet 633. adducti sunt, unum eundemque Christum et Filium »divina et humana una activitate theandrica operantem secundum sanctum Dionysium« profitentur.³

Iam vero ex Unione Alexandrina praecipueque ex hoc capite septimo Monothelismus ille originem duxit, propter quem Cyrus, patriarcha Alexandrinus, Sergius, patriarcha Constantinopolitanus eiusque successores Pyrrhus, Petrus et Paulus; Macarius, patriarcha Antiochenus eiusque discipulus Stephanus diaconus, Polychronius, presbyter atque Honorius papa in concilio Constantinopolitano oecumenico sexto a. 680—681. damnati sunt.

Damnationis causa a concilio ea infertur, quod Theodosii, Severi... et Themistii de una Christi voluntate et activitate et de una Christi activitate theandrica doctrinam haereticam renovarunt et restituerunt.⁴

Qua de causa haec Quaestio iure merito adnumeranda est iis Quaestionibus, quae nisi dilucidentur, nostra quidem opinione, Monothelismi historia aequae ac famosa illa de Honorio I. papa controversia nec, undequaque intelligi nec rite diiudicari possit.

Supra citata verba Dionysii, quae, uti ex dictis patet, celebrem de Christi activitate theandrica formulam christologicam efficiunt, a theologis sensu obiectivo interpretari seu intelligi solent.

Omnes nimirum theologi Sophronii, patriarchae Hierosolymitani, Maximi Confessoris, Martini I. papae et Ioannis Damasceni auctoritate in interpretando Pseudo-Dionysio innixi »novam quandam Christi activitatem theandricam« generatim illas operationes Christi intelligendas esse dicunt, quae utriusque naturae eius cooperationem includunt. In specie theologi opera divina seu miraculosa, quae Christus cooperatione naturae humanae patrabat, mixta et theandrica appellant.⁵

Iam vero Dionysii verba opinione quidem nostra interpretationem quoque subiectivam admittunt.

Secundum interpretationem subiectivam Dionysii omnis seu universa Christi activitas theandrica dici potest, i. e. non tantum operationes Christi mixtae sed etiam una ex parte omnes operationes pure humanae et altera ex parte omnes eius operationes etiam divinae, et quidem ratione subiecti theandrici, Christi videlicet Dei et hominis, a quo omnes operationes tum mixtae tum humanae tum etiam divinae qua tales procedunt et ad quem reducuntur.

Duplicem igitur finem nostra disquisitio prosequitur et quidem primo ut formulae christologicae Dionysii de Christi activitate theandrica praeter interpretationem obiectivam, quae a theologis proponitur, aliam, id est interpretationem subiectivam, possibilem esse demonstramus; deinde ut videamus, utrum verosimilis sit sen-

tentia nostra, iuxta quam Theodosiani Dionysium sensu subiectivo intelligere poterant.

Quibus probatis brevissima et facillima via parabitur illi ultimae Quaestioni resolvendae, in qua rite diiudicandum erit, quoniam sensu Monothetae, qui, uti notavimus, teste concilio Lateranensi et Constantinopolitano oecumenico sexto Theodosianos secuti sunt, ab iisdem conciliis damnati erant.

Hisce suppositis dissertationem nostram in septem partes dividimus.

In parte prima textibus ex concilio Lateranensi a. 649. et concilio Constantinopolitano, oecumenico sexto a. 680—681. desumptis innixi Theodosianos doctrinam suam de una Christi activitate theandrica in Dionysii auctoritate fundasse ostendemus.

In parte secunda iisdem conciliis innixi Monothetas Theodosii, patriarchae Alexandrini, Severi, patriarchae Antiocheni et Themistii, diaconi Alexandrini doctrinam renovasse et restaurasse demonstrabimus.

In parte tertia Dionysii sententias christologicas praecipuas seu fundamentales exponemus.

In parte quarta interpretationem subiectivam exstruere conabimur.

In parte quinta interpretationis obiectivae brevem expositionem historicam inde a Sophronio, patriarcha Hierosolymitano usque ad recentissimi temporis auctores delineabimus.

In parte sexta inter utramque, id est inter interpretationem subiectivam, quam et antinestorianam, et obiectivam, quam et antimonophysiticam, denominabimus, comparisonem instituemus.

Denique in parte septima interpretationem subiectivam Dionysii ideologiae nec non terminologiae christologicae, cui Theodosiani favebant, omnino congruere ostendemus.

Quaestionem vero facti, utrum scilicet Theodosiani unam Christi voluntatem et activitatem et unam Christi activitatem theandricam, sensu subiectivo Dionysium intelligentes, docuerint, ad specialem remittimus sequentem Quaestionem praeviam.

Accedamus igitur ad primam partem nostrae Quaestionis.

I.

Teste concilio Lateranensi (a. 649.) et concilio Constantinopolitano oecumenico sexto (a. 680—681.) Theodosiani suam de una Christi activitate theandrica doctrinam in Pseudo Dionysii auctoritate fundabant.

Ita in sessione tertia concilii Lateranensis textus legebatur, in quo Themistius contra Colluthum quendam asserit Severum, patriarcham Antiochenum unam Christi activitatem theandricam, non simpliciter divinam docuisse, cum Christus alia modo divino, alia vero modo humano operatus sit.⁶

Si autem ipsa (activitas)-prosequitur Themistius contra Colluthum - divina tantum (est), non theandrica, nihil secundum nos (homines) operatus est (Christus).⁷

Activitas Christi cum in divinis tum in humanis-ait Themistius in Epistola dogmatica ad Marcellinum, presbyterum et Stephanum, diaconum-non erat alia et alia (duorum), sed una atque eadem, utpote unius existens eiusdemque. Et hac de causa eam Areopagita theandricam nominavit.⁸

Sequitur pars secunda, in qua Theodosianorum supra dictam de Christi voluntate et activitate doctrinam a Monotheletis saeculo septimo renovatam et restauratam esse probandum est.

II.

Teste eodem concilio Lateranensi et Constantinopolitano, Monotheletae saeculi septimi, Cyrus, patriarcha Alexandrinus, Theodorus, episcopus Pharanitanus, Sergius, patriarcha Constantinopolitanus eiusque successores Pyrrhus, Petrus et Paulus, Macarius, patriarcha Antiochenus et alii unam Christi voluntatem et activitatem et unam Christi activitatem theandricam proponentes, Theodosianorum seu Acephalorum doctrinam christologicam renovarunt et restaurarunt.

Ita Stephanus, episcopus Dorensis, in sessione secunda concilii Lateranensis asserit Theodorum, Cyrum, Sergium, eiusque successores Pyrrhum et Paulum... Severi haeretica dogmata contra paternas et synodales institutiones renovasse.⁹ Ideoque exoro-ait Stephanus-ut minime despiciatis... super tali capitulo instantias assiduasque preces... cum lacrymis oblatas, sed sicut luminaria in universo mundo verbum vitae retinentes, introductas extinguite tenebras Apollinaris, et Severi nefandissimarum haereseum per superius memoratos viros, temporibus etiam nostris procaciter germinatas...¹⁰

Utinam quidem — ita Martinus I. papa in sessione prima concilii Lateranensis — latenter in semetipsos tantummodo hoc malum circumscripsissent et non publice atque in ecclesiis ad laesionem multorum, et eversionem immaculatae fidei praedicassent in scripto: id est, Cyrus... et Sergius... nec non et eius successores Pyrrhus et Paulus... Et Cyrus quidem... unam operationem in Christo... definiens divinitatis eius et humanitatis, ad similitudinem Acephalorum haeticorum...¹¹

Idem Martinus I. papa in tertia sessione eiusdem concilii Lateranensis Cyrum et Sergium in dogmatibus Themistii esse discipulos dicit, eo quod ab eodem Themistio edocti verba »novam quandam activitatem theandricam« in »unam quandam activitatem theandricam« immutaverint.¹² Quin immo Sergium idem papa simpliciter de una Christi activitate locutum esse affirmat.¹³

Teste Martino papa, uti videre est ex quarta sessione concilii Lateranensis, Pyrrhus Cyrum contra Sophronium

defendit dicens »novam... activitatem theandricam« non posse aliter intelligi quam »unam activitatem theandricam«. ¹⁴

Deus dedit, episcopus Caralitanus, in sermone, quem in sessione tertia eiusdem concilii Lateranensis habuit, Martinum papam laudibus extollit, quippe qui Cyrum et Sergium haereticorum confessione irretitos esse ostendit, quoniam unam in Christo cum Themistio et Severo activitatem theandricam esse dixerint. ¹⁵

Ego, domine — ait Macarius, patriarcha Antiochenus Constantino imperatori in sessione secunda concilii Constantinopolitani — duas operationes non dico: sed nec sentio, quod beatae memoriae Leo... duas operationes dixerit... Ego numerum (unam vel duas operationes) non dico, sed theandricam eius operationem, secundum sanctum Dionysium... ¹⁶

Non dico duas voluntates aut duas operationes — repetit Macarius Constantino imperatori in sessione octava eiusdem concilii — sed unam voluntatem et theandricam operationem. ¹⁷

Unitum quippe esse carni secundum subsistentiam — ait Macarius in sua expositione fidei, quae in eadem sessione octava legebatur — confitentes Verbum, unum illum adoramus... in duabus naturis inconfuse et indivise cognoscendum... eiusdem miracula et passiones et omnem simul divinam et humanam operationem ex eodem uno Christo Deo nostro nova ratione processisse: Neque enim quae divina sunt, secundum Deum, neque rursus, quae hominis, secundum hominem, sed incarnatus Deus Verbum novam quandam activitatem theandricam et hanc totam vivificam demonstrat. ¹⁸

Non dico — sic iterum Macarius in eadem sessione octava — duas naturales voluntates, aut duas operationes naturales... nec si membratim incidar et mittar in mare. ¹⁹

Iuxta Epistolam, quam Agatho papa ad concilium Constantinopolitanum, oecumenicum sextum scripsit, Cyrus, Theodorus, Sergius, Pyrrhus, Petrus et Paulus Apollinarii, Severi et Theodosii doctrinam de una Christi voluntate et activitate secuti sunt. ²⁰

Patres in sessione decima octava eiusdem concilii uniti Theodorum, Sergium, Pyrrhum, Petrum, Paulum... et Honorium »qui fuit papa antiquae Romae«, Cyrum, Macarium et Stephanum eius discipulum »haeresim consentaneam insanae ac malitiosae sectae impiorum Severi atque Themistii«... restaurasse atque disseminasse declarant. ²¹

Iidem patres in Epistola ad Agathonem papam dicunt anathemate percussos esse Theodorum, Sergium, Honorium, Cyrum, Paulum, Pyrrhum et Petrum et »eos qui vivunt suscepta illorum impietate«... Severi et Themistii exosorum Deo, Macarium... Stephanum eius ad amentiam discipulum... item Polychronium qui in dogmatibus haereticis nomini suo respondens inveteravit... ²²

Teste igitur concilio Lateranensi et Constantinopolitano una ex parte Theodosiani saeculo sexto et septimo ad Dionysium provocantes unam Christi activitatem theandricam profitentur. Ex altera vero parte Monotheletas Theodosianorum de una Christi voluntate et activitate et de una Christi activitate theandrica doctrinam eadem concilia renovasse et propugnasse affirmant.

His itaque explicatis videre oportet, quoniam sensu formula christologica Dionysii de nova quadam Christi activitate theandrica intellegenda sit, et quoniam sensu Theodosiani et ceteri supra nominati eam intellexerint et ad eandem provocaverint.

Utrumque enim considerare necesse est, si recte perspicere volumus sensum, quem damnatio Monotheletarum et Honorii I. papae a patribus concilii Constantinopolitani, oecumenici sexti, facta habuerit.

Sed antequam ad ipsam Dionysii formulam christologicam accedamus, praecipuas eius seu fundamentales opiniones christologicas inspiciamus oportet.

III.

Pseudo-Dionysii Areopagitae ideae christologicae fundamentales.

Scripta, quae sub nomine Dionysii Areopagitae extant, non sunt, uti initio notavimus, Dionysii Areopagitae, S. Pauli discipuli et episcopi Atheniensis, sed scriptoris cuiusdam, qui sub finem saeculi quinti vel initio saeculi sexti in Syria vixit.²³

Ab eodem autore quattuor dissertationes et decem epistolas habemus.

In prima dissertatione ex nominibus Dei in S. Scriptura adhibitis essentiam Dei eiusque attributa deducit.²⁴ Secunda dissertatio de incomprehensibilitate Dei tractat.²⁵ Tertia de spiritibus coelestibus seu de angelis et quarta de Ecclesia agit.²⁶

Epistolas ad diversas dedit personas tum ut de variis quaestionibus dogmaticis sibi propositis responderet, tum ut exhortationes practicas daret.²⁷

Quae scripta magnum speculativum et mysticum produnt spiritum. Auctor Dionysii, S. Pauli discipuli, nomen assumpsit, quo facilius ideas suas theologicas quam maxime divulgaret.²⁸

Primus ad eadem scripta provocat Severus, patriarcha Antiochenus (512—518), itemque Severi asseclae seu episcopi Severiani in collatione, quae inter eosdem et episcopos orthodoxos duce Hypathio, metropolita Ephesino, Iustiniani imperatoris (527—565) iussu a. 531. vel 533. Constantinopoli in eum finem habita est, ut magna Theodosianorum seu Severianorum secta concilii Chalcedonensis doctrinam christologicam, quam Nestorianismi arguebant et impugnabant, agnosceret et ad unitatem catholicam rediret.²⁹

Hypathius, metropolita Ephesus, in supra dicta collatione eadem scripta authentica esse negavit.³⁰ Nihilominus decursu temporis magnam nacta sunt auctoritatem. Quod imprimis tribuendum est commentariis in ea a **Maximo Confessore**, **Dyothelismi** defensore confectis, qui ea contra **Monothelitas** defendit et orthodoxa esse asserit.³¹ Medio aevo haud fere minus quam **S. Scriptura** aestimabantur, ut videre est ex operibus mysticis eiusdem temporis. Auctores gravissimi, uti v. gr. **S. Thomas** in ea commentarium scripsit.³² Theologiae mysticae fautores, ut iure **Berdenhewer** affirmat, in iis contemplationum mysticarum ducem habuerunt, Scholastici vero arbitrem speculationum de Dei essentia eiusque attributis.³³

Quod vero fundamentales **Pseudo-Dionysii** opiniones christologicas attinet, dicendum apud eum neque formulam *μία φύσις* neque *δύο φύσεις* inveniri.³⁴ Deus — ait **Pseudo-Dionysius** — genus humanum more singulari prosecutus est, quia in una ex suis hypostasibus proprietatibus nostris vere et plene sese adiunxit... et humilitatem humanam assumpsit... ex qua simplex Jesus compositus factus est... servatis tamen immutatis et inconfusis proprietatibus.³⁵ Verbum, quod supra substantiam est — dicit alio in loco — nostram substantiam vere et integre assumpsit atque humana modo divino operabatur.³⁶ Verbum — iterum alio in loco — ex humani generis amore substantiam nostram assumpsit et summus Deus homo appellatus est, qui substantiam nostram superabat non tantum in eo, quod nec aliquid de plenitudine sua exuberanti amisit, sed naturae nostrae modo suprasubstantiali (supranaturali) particeps fuit omnia nostra modo suprahumano possidens.³⁷

Et haec notasse sufficiat, ut appareat, **Pseudo-Dionysii** ideas christologicas fundamentales plane orthodoxas esse.

Accedamus igitur ad quartam disquisitionis nostrae partem i. e. ad explicationem subiectivam ipsius formulae christologicae **Pseudo-Dionysii Areopagitae** de Christi activitate theandrica.

IV.

Interpretatio subiectiva formulae christologicae Pseudo-Dionysii Areopagitae.

Citata verba, quibus **Dionysius** formulam christologicam de nova quadam activitate Christi theandrica exprimit, extremam faciunt pericopen Epistolae, quam od **Caicum** quendam monachum scripsit.³⁸

Quomodo inquis — ait **Pseudo-Dionysius** ad **Caicum** — Iesus, cum sit omnibus superior, ceteris hominibus quoad substantiam aggregatus est? Non enim ut auctor hominum hoc loco homo dicitur, sed quatenus ipse secundum totam substantiam vere homo est.³⁹

Nos autem Iesum non humanitus definimus: non est enim tantummodo homo (neque suprasubstantialis existeret, si tantummodo homo esset) sed vere homo, quia eximio hominum amore commotus super homines (i. e. ex virgine) et secundum homines ex hominum substantia suprasubstantialis substantiam assumpsit. At nihilominus utpote semper suprasubstantialis suprasubstantialitatis supra modum plenus est et propter huius (suprasubstantialitatis) abundantiam in substantiam vere veniens supra substantiam substantiatius est, atque supra hominem ea, quae hominis sunt, operabatur.⁴⁰

Quod manifestum redditit virgo supranaturaliter gravida et aqua liquida materialium terrenorumque pedum pondus sustinens nec (scilicet ponderi) cedens sed virtute supernaturali ad indifusibile dirigens.⁴¹

Quid cetera aliquis valde multa memoret, ex quibus contemplator religiosus supra mentem cognoscet ea quoque, quae de humanitate Iesu praedicari solent, negationis excellentis virtutem habere.⁴²

Etenim, ut summatim dicamus, neque homo erat, non quasi homo non fuisset, sed quia, licet ex hominibus natus, homines (longe) superaret, et supra hominem vere homo factus est.⁴³

Ceterum neque divina secundum Deum opera perfecit neque humana secundum hominem, sed utpote Deus homo factus, novam quandam activitatem theandricam nobis manifestabat.⁴⁴

Christus videlicet — scribit Dionysius ad Caium — est verus homo, attamen non obstante realitate et integritate propriae suae naturae humanae merus homo non est, cum ipse utpote semper substantialis et suprasubstantialitate plenus, Deus etiam sit, uti videre est una ex parte ex nativitate eius humana, sed miraculosa et altera ex parte ex operibus humanis, quae ratione suae suprasubstantialitatis modo suprahumano seu divino perpetrabat, uti est v. gr. ambulatio super aquas, nec non ex multis aliis, quae de ipsius humanitate affirmantur. Ita humanitas Christi etiam in operibus divinis partem habuit. Quae omnia Christum merum hominem non fuisse sed Deum et hominem comprobant.⁴⁵

Finis itaque Epistolae Pseudo-Dionysii in eo esse videtur, ut Christum verum hominem, sed omnibus hominibus superiores, i. e. verum hominem et verum Deum esse ostendat.

Ratio deinde ontologica, propter quam Christus verus homo omnibus hominibus superior esse dicitur, in unione hypostatica repouenda est, vi cuius unum eundemque Christum Deum et hominem esse agnoscendum.

Argumenta vero ad thesim de suprasubstantialitate i. e. de divinitate Christi hominis probandam desumit ex nativitate eius miraculosa et ex multis operibus humanis, quae divino modo patraverat, uti etiam ex multis aliis operibus, scilicet divinis, quae natura sua humana perfecerat.⁴⁶

Argumentum ex operibus Christi desumptum Dionysius thesi sua repetita, dilatare atque amplificare in eum finem videtur, ut thesim iam probatam abundantius confirmet.

Christus — repetit nempe Dionysius — verus homo est, attamen merus homo non est, quia modo suprahumano verus homo factus est et quia omnes homines superat. Christus est Deus simul et homo, uti patet ex nativitate ipsius suprahumana. Ut Deus et homo apparet etiam in operibus humanis modo divino et operibus divinis humano modo patralis. Ceterum — Dionysius concludere videtur — Christus non tantum opera, de quibus in contextu sermo occurrit, i. e. opera humana modo divino et divina modo humano perficiebat, sed etiam opera divina qua talia, aequae ac opera humana qua talia ut Deus et homo perpetrabat. Ipse enim utpote Deus et homo novam quandam activitatem theandricam seu activitatem Dei et hominis nobis manifestabat.

Dionysius enimvero lumine unionis hypostaticae seu lumine identitatis personalis, vi cuius Christus unus idemque Deus et homo agnoscitur, totam seu universam activitatem Christi perspicere videtur, i. e. non tantum illas operationes, de quibus in contextu antecedente loquitur et ad quas ad thesim suam probandam explicite provocat, sed etiam operationes Christi pure divinas una ex parte et operationes Christi pure humanas altera ex parte. Quidquid scilicet Christus effecisse praesumitur, sive per utramque naturam, sive solum per naturam humanam, sive etiam per naturam divinam tantum, semper unum eundemque, Deum et hominem causam esse Dionysius asserit.

Etenim Christus ut Deus simul et homo activitatem suam manifestasse dicendus est non tantum illis operibus, in quibus cooperatio utriusque naturae locum habuit, sed etiam operibus suis in se humanis, uti etiam operibus suis divinis.

Formula igitur Pseudo-Dionysii doctrinam totam de effectibus unionis hypostaticae relate ad Christi activitatem efferre dicenda est.

Nova scilicet conditio Verbi per unionem hypostaticam exorta, vi cuius natura humana ad esse personale Verbi attracta est, etiam in activitate Christi novitatem per consequentiam secumduxit.

Novitas, ante omnia certe, in eo fuit, quod Christus Deus homo factus operationum mixtarum id est illarum, quas utriusque naturae cooperatione perficiebat, causa extitit. Quod unione hypostatica praesupposita per se patet et per se intelligitur et ab eodem Dionysio ratione finis, quem Epistola sua prosequitur in contextu immediato ex professo extollitur.

Novitas sine ullo dubio etiam in eo erat, quod Christus Deus et homo per consequentiam non tantum operationum humanarum sed etiam operationum divinarum qua talium causa extitit — ut a Dionysio aequo modo inculcatur.⁴⁷

Attamen Christus reduplicative ut Deus et homo causa dici potest omnium suarum operationum humanarum sensu obiectivo, quatenus scilicet persona Verbi per esse suum personale naturam humanam sustentabat et ut principium *ἡγεμονικόν* dirigebat in eamque diversimode influebat, ita ut consequenter omnes Christi operationes humanae cooperationem divinae ipsius naturae involvere dicendae sunt.

Idem viceversa de omnibus Christi operationibus divinis, ut absurdum, nullo modo dici potest, cum ad omnes operationes divinas efficiendas naturae humanae cooperatio sensu metaphysico impossibilis praesupponi debeat.

Quapropter Christus ut Deus et homo omnium suarum operationum divinarum qua talium causa sensu tantum subiectivo affirmari potest.

Iam vero eatenus Christi activitas a Pseudo-Dionysio theandrica haberi videtur, quatenus omnes operationes Christi i. e. non solum mixtae, sed etiam omnes operationes humanae qua tales, immo etiam omnes operationes divinae qua tales a Christo Deo simul et homine seu a subiecto theandrico processisse intelliguntur, cum subiectum theandricum etiam activitas theandrica consequatur necesse sit.

Universa igitur supra memorata Christi activitas a Pseudo-Dionysio theandrica dicitur sensu subiectivo i. e. ratione subiecti theandrici, a quo procedere praesumitur ita ut etiam omnes operationes Christi in se humanae et omnes operationes quoque in se divinae ratione exposita ab eodem Pseudo-Dionysio theandricae appellari videntur.

Eadem interpretatio subiectiva duplici argumento confirmari potest.

Pseudo-Dionysius praeprimis terminis utitur concretis: »Non secundum Deum divina« et »neque humana secundum hominem«, qui etiam terminis concretis »sed secundum Deum et hominem« aequivalent et a Dionysio verbis »activitatem theandricam« exprimuntur.

Iam vero termino concreto subiectum seu suppositum designari solet.⁴⁸

Quibus positis assertio Dionysii vera est quoad omnes operationes utriusque naturae Christi, si supra dicti termini sensu concreto, et falsa, uti patet, saltem quoad Christi operationes divinas, si sensu abstracto intelliguntur, quia, uti saepe diximus, cooperatio Christi naturae humanae ad omnes operationes divinas omnino regnat.

Dionysius deinde, uti vidimus, sensu absoluto seu sine ulla restrictione et sensu exclusivo prae oculis habere videtur non tantum omnes operationes Christi humanas sed etiam omnes operationes ipsius divinas qua tales.

Iam vero omnes operationes Christi in se humanae sensu obiectivo a Christo Deo simul et homine procedere dici possunt.

Qua de causa omnes operationes Christi in se humanae sensu obiectivo et omnes operationes ipsius divinae qua tales sensu tantum subiectivo theandricae appellari possunt.

Cum igitur Pseudo-Dionysius de utraque Christi operatione sensu absoluto et exclusivo loquatur, aut circa operationes Christi divinas errasse dicendus est, ita ut formula ipsius relate ad operationes Christi divinas necessario restringenda esset, aut idem Pseudo-Dionysius de activitate Christi theandrica sensu subiectivo loqui dicendus est.

Finis itaque, quem Pseudo-Dionysius Epistola citata prosequitur, quatenus scilicet Christum Deum simul et hominem seu subiectum theandricum probare intendit; termini deinde concreti, absoluti et exclusivi, quibus in activitate Christi theandrica delineanda utitur, interpretationem subiectivam sine ullo dubio fundare possunt.⁴⁹

Activitas porro Christi theandrica etiam in interpretatione subiectiva formulae Pseudo-Dionysii naturam humanam et naturam divinam, uti patet, ut duo impermixta, inconfusa et indivisa, principia quo activitatis in uno Christo, uno eodemque Deo et homine, ut in uno eodemque principio quod praesupponit.

Et quia activitas Christi in eadem interpretatione activitas theandrica ratione subiecti theandrici appellari potest, eadem ratione etiam »una et eadem« seu unius eiusdemque dici potest, ratione unius scilicet eiusdemque suppositi theandrici, Christi Dei et hominis, a quo procedere supponitur.

Iuxta eandem interpretationem deinde subiectivam Christi activitas theandrica in se considerata operationem triplicem includit, i. e. non tantum operationes Christi mixtas et humanas, sed etiam operationes divinas.

Quae tamen operationes Christi mixtae, utpote sensu duplici theandricae, id est sensu obiectivo et subiectivo, theandricae sensu stricto habendae essent, quia Christum secundum utramque naturam simul operantem produunt et manifestant.

Eadem de causa Dionysius super omnia operationibus Christi mixtis utitur, ut Christum Deum et hominem seu subiectum theandricum esse probet.

Operationes autem Christi pure humanae et pure divinae sensu subiectivo theandricae tantum i. e. theandricae sensu latiori appellari possunt.

Quae quidem distinctio inter operationes sensu stricto et sensu latiori theandricas a Dionysio terminis expressis seu explicitis non fit, attamen in Epistola eiusdem, ut a nobis exposita est, virtualiter contineri ex eaque, ut praesupposita, legitime deduci prorsus videtur.

V.

Interpretatio obiectiva formulae christologicae Pseudo-Dionysii a Patribus, Scholasticis nec non a recentioribus theologis proposita.

Theologi, uti initio monuimus, Sophronii, patriarchae Hierosolymitani, Maximi Confessoris, Martini I. papae. Ioannis Damasceni auctoritate muniti Dionysium sensu obiectivo intelligunt.⁵⁰

Ita v. gr. S. Thomas,⁵¹ Petavius,⁵² Scheeben,⁵³ Franzelin,⁵⁴ Schell,⁵⁵ Einig,⁵⁶ Janssens,⁵⁷ Pohle,⁵⁸ Pesch Christ,⁵⁹ Diekamp,⁶⁰ Billot,⁶¹ Bartmann,⁶² Lercher,⁶³ Galtier⁶⁴ et innumeri alii.

Auctores etiam protestantes: Dorner, Harnack et alii Pseudo-Dionysium sensu obiectivo intelligunt.⁶⁵

Qua de causa interpretationis obiectivae inde a Sophronio usque ad recentissima tempora brevem hic conspectum dabimus.

Incipiamus a Sophronio.

I. Sophronius, patriarcha Hierosolymitanus.

Sophronius monachus una cum Maximo Confessore tempore Unionis Alexandrinae a. 633. Alixandriae commorans Cyro, patriarchae Alexandrinae contradixit cumque eum a capitulis eiusdem Unionis, eo quod doctrinam de una Christi activitate theandrica continerent, promulgandis nullo modo deterrere posset, ad Sergium, patriarcham Constantinopolitanum se contulit, ut Cyrum ad vocem unius operationis ex Unionis capitulis eliminandam et demovendam permoveret. Sergius Sophronio insistente in posterum decrevit, ut supra dicta Unione peracta, neque de una neque de duabus operationibus Christi quaestio moveretur.⁶⁶

Idem Sophronius a. 634. patriarcha Hierosolymitanus creatus Epistolam dedit synodicam, quam pro more ad Romanum Pontificem et ad Sergium, patriarcham Constantinopolitanum misit, in qua doctrinam de duabus Christi operationibus indefesse propugnat.⁶⁷

Unde — ait Sophronius — in Epistola sua synodica contra Nestorium nec non contra Eetychen et Dioscorum — idem ipse unus manens Christus, et Filius, et unigenitus, inseparatus in utrisque naturis conspicitur, et quae sunt utriusque substantiae, naturaliter operabatur, secundum insitam unicuique essentiali qualitate sive naturalem proprietatem... Verum Emmanuel, dum unus est in eo ipso secundum utrumque, id est Deus et homo, quae naturae utriusque sunt, veraciter gessit, secundum aliud atque aliud, quae gesta sunt operans... Non alius quidem miracula operatus est, alius autem perpetravit humana, passionesque sustinuit... Secundum quod Deus ergo sempiternus idem ipse existebat, patrabat miracula: secundum quod homo... vero idem ipse, facie-

bat humilia et humana. Sicut enim in Christo utraque natura indimute proprietatem suam custodit, ita et operatur utraque forma cum alterius communione, quod proprium habuit, Verbo operante quod Verbi est, cum communione scilicet carnis, et carne exsequente quod carnis est, communicante ei videlicet Verbo in eadem operatione... in una persona... neque enim divise operabantur propria, ut et divisionem earum suspicemur.⁶⁸ Non exultet pro hoc Nestorius, seipsum seducens erroneus, idcirco quod utraque forma in uno Christo et Filio cum alterius communione operabatur, quod proprium habuit. Neque enim ab altera eius dissidens, quod proprium habuit, operabatur.⁶⁹ Neque enim secundum ipsum duos Christos aut Filios, qui operantur glorificamus alterum quidem, secundum naturam Filium et Christum, quae mira sunt: alterum vero secundum gratiam Filium et Christum, quae humiliora sunt: quamquam duas formas, quae communiter operantur, et docemus, unamquamque secundum suam naturalem proprietatem, sed unum eundemque Filium et Christum, qui et sublimia et humilia naturaliter operatur, secundum uniuscuiusque duarum eius naturarum naturalem et essentialem qualitatem, asserimus... Non vane prosiliant Eutyches et Dioscorus, nequaquam existentis impiae confusionis prolatores, sed unaquaeque natura cum alterius communione agebat quod proprium habuit, et divisionem refugiens, et conversionem ignorans, et differentiam ad alterum conservans, communionemque et compositionem insolubilem atque indisruptam persolvans. Hinc pie sentientes... utriusque naturae utramque novimus operationem, essentialem dico, naturalem, et congruam, indivise de unaquaque procedentem essentia et natura, iuxta insitam ei naturalem atque essentialem qualitatem, et inseparabilem simulque inconfusam alterutrius essentiae una secum cooperationem adducentem. Hoc quippe et operationum, quae in Christo sunt, differentiam facit, sicut et naturas esse naturarum.⁷⁰

Quibus positus Sophronius in confirmationem suae de dubabus Christi indivisis et inconfusis operationibus theseos multa affert argumenta, quibus Christum tum naturae divinae tum naturae humanae subiectum esse probat.

Dabat itaque, cum volebat — prosequitur Sophronius — naturae humanae tempus operari et pati quae sua sunt, ne forte phantasia quaedam et visio inanis, nominabilis eius iudicaretur incarnatio. Neque enim involuntarie haec, vel necessitate suspiciebat vel si naturaliter ea, et humane admittebat, et humanis motionibus actitabat, atque operabatur. Absit haec abominabilis suspicio. Deus nempe erat qui haec pati carnaliter aquiescebat, uti nos propriis passionibus salvaret, et per haec nobis immunitatem impartiret, quando pati agereque, et operari humanitus idem ipse volebat, et considerantibus prodesse decernebat, propter quos et homo veraciter factus; et non cum naturales motus atque carnales moveri naturaliter ad operandum volebant... Corpus enim passibile et mortale, atque corruptibile induit, et naturalibus nostris, atque irre-

prehensibilibus subiectum aegrimoniis, et huic, quae naturae suae decenter conveniebant, pati atque patrare indulisit, usque ad resurrectionem ex mortuis... Quaeque igitur humilia atque humana sunt ita sponte simul, et naturaliter manens etiam in his, Deus demonstrabat. Erat namque ipse sibi gubernator passionum humanarum et actionum, et non solum gubernator, sed et arbiter, quamquam natura passibilis erat, qua naturaliter incarnatus est. Et ideo erant humana eius ultra hominem, haud quidem, quod natura humana non fuerat, sed quia sponte factus est homo; et homo factus sponte haec recipiebat, et non tyrannice vel necessitate, ut nos plerumque, et involuntarie sed quando, et quantum volebat, et permittebat ipse, tam iis, qui afflictiones ingerebant, quamque ipsis passionibus, quae secundum naturam agebantur, annuebat.⁷¹

Cerum illa divina — adiungit *Sophronius* — praeclaraque et sublimia et nimirum nostram vilitatem superantia, quae erant miracula, et prodigia... divinae Dei Verbi essentiae, atque naturae profecto existebant indicia, etsi per carnem agebantur et corpus, et non sine carne rationaliter animata gerebantur: non tamen propter haec Deum Verbum aestimemus incarnatum, nec absque corpore astruamus, idcirco quod ea patrabat, quae corporea superexcellunt.⁷²

Unus itaque idemque — prosequitur *Sophronius* — cum sit secundum subsistentiam Filius, indivisus, duarum naturarum idem ipse noscatur, secundum aliam quidem divina signa operabatur, secundum aliam vero humilia recipiebat... et eius naturarum inconfusa qualitas recognoscitur, et in substantias duas, atque personas, ipse prorsus non dispertitur, sed est unus idemque Filius, et Christus inseparabilis in duabus indivise agnoscendus naturis, et ipsius unius Filii cuncta esse certificamus et omnes eius, et voces et operationes credimus: licet quaedam earum sint divinae, quaedam vero ita rursus humanae, quaedam vero medium quendam ordinem obtinent: tanquam habentes in hoc ipso divinum quid et humanum. Huius vero asserimus esse virtutis etiam illam, quae dicitur nova et deivirilis activitas, non unam existentem, sed diversi generis, differentem, quam... *Dionysius* protulit, utpote quae divinum simul et humanum aliquod complectatur et... termino composito uniuscuiusque substantiae atque naturae unamquamque activitatem perfecte significat.⁷³

Sophronius, uti patet, suam interpretationem de *Pseudodionysio* nullis exemplis illustrat.

Siquidem nonnullae operationes sunt — animadvertit *Petavius* eundem *Sophronium* exemplis explicando — quas Christus per solam naturam divinam operatur, ut est mundi creatio et conservatio. Aliae sunt soli humanae naturae peculiare, velut edere, bibere, flere, pati. Aliae denique sunt mixtae, in quibus agit utraque natura, ut cum solo tactu curabat aegros, vel mare pedibus ambulando calcabat. In istis enim partim divinum aliquid inest, partim humanum.

Ita Petavius, qui supra dictam Sophronii de Pseudo-Dionysio interpretationem Cyrilli Alexandrini auctoritate fulcit.⁷⁴

Sophronius porro Leonem Magnum nomine non citat, sed in doctrina generali de activitate Christi, quam ipse interpretationi textus Pseudo-Dionysiani praemittit, terminatur formulae christologicae, quam Leo Magnus de communione naturarum propria operantium proposuit.⁷⁵

Qua de causa, antequam de eodem Sophronio iudicium afferimus, necesse est inspiciamus Leonis Magni de Christi activitate verba, quae cum suo contextu ita sonant: »Qui enim verus est Deus verus est homo; et nullum est in hac unitate mendacium, dum invicem sunt et humilitas hominis, et altitudo Deitatis. Sicut enim Deus non mutatur miseratione, ita homo nec consumitur dignitate. Agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium est; Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exequente quod carnis est. Unum horum coruscat miraculis, alterum vero succumbit iniuriis. Et sicut Verbum ab aequalitate paternae gloriae non recedit, ita caro naturam nostri generis non relinquit. Unus enim idemque est, quod saepe dicendum est, vere Dei filius, et vere hominis filius.«⁷⁶

Haec Leonis Magni formula christologica, in qua utraque forma seu natura sine ulla restrictione »cum alterius communione«
propria effecisse dicitur, duplici sensu, nostra quidem opinione, intelligi potest.

Naturae Christi nempe — prouti theologi communiter explicant — opera propria communione seu unione obiectiva id est cooperatione mutua perfecisse dicuntur quatenus scilicet utraque natura in uno eodemque supposito divino Verbi alteri naturae cooperanti unita, opera propria perpetrasse percipitur. Igitur secundum hanc communem interpretationem formula Leonis Magni una ex parte unitatem et identitatem personae seu suppositi et altera ex parte communionem seu cooperationem mutuam naturarum Christi in operibus utriusque naturae propriis perficiendis extollit.

Cum autem cooperatio naturae Christi humanae ad omnes naturae eius divinae operationes proprias ut absurda nullatenus sustineri possit, interpretationis obiectivae asseclae Leonis Magni assertionem absolutam, quatenus operationes Christi divinas attingit, ad illa opera Christi divina seu miraculosa restringere coacti sunt, in quibus natura eius humana de facto partem habuit; eademque miracula ut distincta ab operibus divinis, operationes Christi mixtas appellant.

Quae opera miraculosa a theologis opera Christi *κατ' ἐξοχήν* communiter appellari solent.

Cooperatio et contra naturae Christi divinae ad omnes operationes eius humanas iure merito sustinetur et quidem ratione personae seu suppositi divini. Persona videlicet divina Verbi Dei naturam tanquam hypostasis propria non tantum simpliciter sustentabat,

sed etiam dirigebat atque eam diversimode afficiebat. Et multi theologi iisdem rationibus adducti omnes operationes Christi humanas cooperatione suppositi divini peractas esse existimant.⁷⁷

Nihilominus auctores non pauci, uti decursu tractationis nostrae videbimus, assertionem absolutam *Leonis Magni*, quatenus etiam operationes Christi humanas respicit, restringunt, operationes Christi mixtas, operationes pure divinas et operationes etiam pure humanas distinguentes.

Formula vero christologica a *Leone Magno* terminis absolutis expressa nulla restrictione indiget in alia interpretatione, quam *proponere intendimus*.

Naturae videlicet Christi in uno eodemque supposito divino Verbi inconfusae et indivisae seu unitae consistentes et propria operantes considerari possunt nullo respectu habito ad quamcumque cooperationem inter utramque naturam possibilem. Utraque natura opera propria peregissee dici potest non obstante communionem seu unionem cum altera natura in uno eodemque supposito divino Verbi, id est non obstante unitate et identitate suppositi divini Verbi, in quo inconfuse unitae haberi debent, quia unitas et identitas personalis neque naturarum neque consequenter proprietatum naturalium diversitatem in Christo sustulisse asserenda sit.

Quo posito eadem formula, una ex parte unitatem et identitatem suppositi, et altera ex parte diversitatem naturarum in Christo inconfuse unitarum ex operibus utriusque naturae propriis sensu reduplicativo exprimeret.

Uti enimvero natura Christi humana vi unionis hypostaticae omnes operationes proprias humanas supposito Verbi divini unita exercuit ita etiam viceversa natura Verbi divina omnes operationes proprias divinas naturae sibi hypostatice assumptae unita perfecit.

At unitas et identitas personae seu suppositi in Christo communionem seu cooperationem mutuam sensu absoluto nullatenus secumferre potuit, uti patet ex multis operibus Christi divinis, ad quae peragenda cooperatio naturae Christi humanae simpliciter impossibilis erat.

Qua de causa interpretatio, quam secundo loco proponimus, operationes tantum utriusque Christi naturae proprias qua tales respicit ac cooperationem mutuam inter utramque naturam prae oculis non habet, attamen eam non excludit, sed iuxta possibilitatem obiectivam potius praesupponit, quia unitatem et identitatem effert suppositi divini una ex parte, et altera ex parte utriusque naturae opera propria sensu reduplicativo, utpote quae naturarum in Christo inconfuse unitarum diversitatem ostendant.

Communio igitur illa, de qua *Leo Magnus* loquitur, secundum alteram interpretationem non tantum ad omnes operationes Christi humanas, sed etiam ad omnes eius operationes divinas sese aequae extendit.

Formula itaque christologica *Leonis Magni* duplici sensu interpretari potest, secundum quod termino »alterius communionem«

aut communio in operando obiectiva aut communio in operando subiectiva sensu explicato intelligitur.⁷⁸

Interpretatio, quae hucusque a theologis proposita est, et quae terminum »cum alterius communionem« ut communionem in operando obiectivam seu communionem in operando sensu reduplicativo simpliciter intelligit, interpretatio obiectiva, altera vero, quam secundo loco proposuimus, quae terminum »cum alterius communionem« ut communionem in operando subiectivam seu communionem in essendo sensu explicato accipit, interpretatio subiectiva optime appellari potest.

Verba igitur *Leonis Magni* vel sensu obiectivo vel subiectivo explicari possunt.

Si verba *Leonis Magni* sensu obiectivo intelliguntur, vera esse non apparent et hac de causa quoad operationes Christi divinas restrictionem necessario involvunt. Si vero quoad operationes Christi divinas non restringuntur, ad interpretationem subiectivam necessario nobis reccurrendum erit, in qua quoad utramque Christi operationem vera esse apparent atque nulla restrictione indigent, et quidem eo magis quod *Leo Magnus* in contextu exempla non afferat, vi quorum eadem verba sensu absoluto prolata ulla ratione restringenda essent.

Leo Magnus etenim in contextu immediato et illustrativo »miracula« et »iniurias« multaque alia minime ut opera utriusque Christi naturae communionem seu cooperationem perpetrata, minime scilicet ut opera Christi mixta afferre, sed »miracula« una ex parte, et »iniurias« altera ex parte, extollere videtur, ut diversitatem naturarum in uno eodemque supposito divino in Christo inconfuse unitarum ostendat.⁷⁹

Nullum igitur dubium est, quin formula christologica *Leonis Magni* sensu absoluto prolata interpretationem subiectivam admittat.

Quae ceteroquin interpretatio subiectiva confirmari posset etiam scopo, quem *Leo Magnus* Epistola sua dogmatica prosequitur.

Nam *Leo Magnus* in citata Epistola unitate et identitate suppositi divini in Christo (contra *Nestorium*) magnopere inculcata contra *Eutychen* naturarum Christi diversitatem impermixtam extollit.

Quam naturarum Christi diversitatem impermixtam certe operationibus utriusque naturae propriis qua talibus potius quam operationibus mixtis comprobare voluisse dici posset.

Nunc autem ad *Sophronium* revertamur!

Sophronius imprimis unitatem subiecti seu suppositi in Christo secundum utramque naturam agentis contra *Nestorium* et duas inconfusas et distinctas naturas operantes contra *Eutychen* extollit.

Idem, porro, Sophronius formula christologica Leonis Magni sensu obiectivo explicata communionem Christi naturarum in activitate tum ad operationes Christi humanas tum etiam ad operationes Christi divinas sensu absoluto, id est sine ulla restrictione, saltem verbotenus extendit.

Argumentum ad eandem cooperationem roborandam ex eo Sophronius desumit, quod naturae Christi neque »divise« neque una ab altera »dissidens, quod proprium habuit, operabatur.«⁸⁹

Attamen ex eo quod naturae in Christo ratione unionis hypostaticae indivisae seu unitae erant, communio seu cooperatio mutua in operibus propriis sensu absoluto nullatenus sustineri potest, uti supra iam notavimus.

Quod etiam ex ipso Sophronio confirmare liceat, qui paulo infra, in interpretatione scilicet Pseudo-Dionysii, operationes Christi tantum mixtas utpote utriusque naturae Christi communionem seu cooperationem peractas et ab operationibus Christi divinis aequae ac operationibus ipsis humanis distinctas, a Pseudo-Dionysio theandricas haberi affirmat.

Quapropter si Sophronium sibi contradicere dicendum non est, communio illa naturarum Christi, quam ipse formula christologica Leonis Magni sensu obiectivo explicata, terminis absolutis proponit, ad operationes Christi tantum mixtas, uti ex dictis patet, sine ullo dubio restringenda est.

At quaestio remanet solvenda, utrum Pseudo-Dionysius exclusive operationes Christi mixtas theandricas existimet.

Si formula Pseudo-Dionysii sensu obiectivo, et usque ad ultimas consequentias consideratur, dicendum est eundem Pseudo-Dionysium vel circa operationes Christi divinas errare, vel de iisdem operationibus Christi divinis iuxta possibilitatem obiectivam locutum esse, ita ut in Christo operationes pure divinae et operationes theandricae distinguendae sint: operationes Christi pure divinae, quae cooperationem naturae videlicet suae humanae excludunt et operationes theandricae id est tum operationes Christi divinae seu miraculosae, quae cooperationem ex parte naturae suae humanae involvunt, tum etiam omnes reliquae operationes Christi humanae qua tales, quia omnes, uti supra dictum est, naturae suae divinae influxum diversimode patiebantur.

Quibus positis formula Pseudo-Dionysii operationes Christi pure humanas non agnoscit.

Iam vero eadem formula operationes in Christo neque pure humanas neque pure divinas admittit.

At admissa eiusdem formulae interpretatione subiectiva non tantum operationes Christi mixtae et omnes operationes Christi humanae qua tales, sed etiam omnes operationes Christi divinae qua tales theandricae dici possunt et debent.

Et haec de Sophronio sufficient.

2. Maximus Confessor.

Igitur, qui Christi Dei naturas — ait *Maximus* in epistola ad *Nicandrum* episcopum Cyprensem — tum scilicet divinam tum, quae nostrae similis est, humanam confiteamur... omnino naturales ipsarum pari numero voluntates profiteamur necesse est, totidemque esentiales operationes... cum nos minime lateat, quae in persona unio est, nihil illis quae naturalia sunt, uti nec naturis ipsis officere; tametsi illa (unio) vi sua, unius personae ratione, in unum eas cogat, nullatenus impediens quominus duae naturae... existant, uti etiam naturales ipsas proprietates... neutramque sine altera, extrave alterius communionem, ullo modo, uti... papa *Leo* sentit, spectari sinens, essentialem ac naturalem earum distinctionem non... abolet, sed perfecte servat... Operae pretium igitur est, ut... patrum doctrinam teneamus, atque duas naturales voluntates, ex eorum mente ac sententia, essentialisque operationes in uno eodemque confiteamur et admittamus.⁸¹

Vox enim theandrica — prosequitur *Maximus* — operationem divinam simul et humanam complectitur. Convenientem enim magister excogitatus terminum, qui utramque operationem... singulariter prolatus complecteretur duplicem operationem eius qui natura duplex sit, significavit... divinam simul atque humanam eiusdem naturalem operationem conseruit, eo quod neutra existat sine altera sed alia in alia aliaque per aliam ob unionem indissolubilem coalitas intelligantur, ambasque termino singulari complexus... praedicavit. Ut, qua dixit, tum divina operatum, tum humana etsi non Dei more, nec vero more hominis; quod non nudus Deus... nec homo simplex esset; sed vere tamen operatum; essentialem naturalium operationum distinctionem astrueret; qua vero complexe et termino accomodato theandricam activitatem vocavit, indivulsam ipsarum unionem doceret.⁸²

Omnino idem, quoad rem, *Maximus* profert in sua cum *Pyrro*, patriarcha Constantinopolitano, disputatione a. 645. Romae habita.⁸³

Quam enim magister (*Pseudo-Dionysius*) termino apto actionem theandricam protulit — ait *Maximus* in tomo dogmatico ad *Marinum* diaconum Cyprensem — duplicem operationem eius qui natura duplex est significavit. Divinam enim atque humanam termino composito palam praedicavit: non tamen simpliciter et absolute: unde nec numero hanc nominavit, etsi singulariter, ut naturalium operationum unionem significaret, eam docuit.⁸⁴

Non secundum Deum — ait *Maximus* in commentario in *Pseudo-Dionysii* Epistolam ad *Caium* — divina perficebat... quia cum carne, et non sola divinitate. Quaemadmodum igitur divina, sic nec humana secundum hominem... quoniam in potestate divina, quando volebat dando tempus carni propria operandi simul et humana... Theandrica activitas designat divinam et humanam... Adverte autem admirabilem et in-

explicabilem Domini unionem, quoniam non ut Deus divina gessit (erat enim homo) nec ut homo humana (erat enim Deus), quomodo vero non ut Deus divina opera patriverit, declarabat id, quod pedibus corporeis supra mare ambulaverit. Dei enim est aquam consolidare, non Dei autem pedibus corporeis ambulare... Rursus Dei item est efficere, ut Virgo pariat; facie autem ceterisque membris efformari, non est divinitatis... Nemo in stultiloquium erumpens dicat... Dominum *θεανθρώπου* appellare: non enim a *θεανθρώπου* efformando, sed *θεανθρώπου* seu theandricam activitatem, quasi a Deo ac homine compositam. Unde etiam Deum vocat *ἀνθρώπωμα* id est Deum hominem factum.⁸⁵

Termini videlicet *θεανθρώπου* nec non *θεανθρώπινη ἐνέργεια* naturarum et per consequens etiam operationum commixtionem involvunt. Quapropter *Pseudo-Dionysius* — extollit *Maximus* — termino *θεανθρώπινη ἐνέργεια*: utitur, ut naturas Christi earumque operationes inconfusas atque impermixtas exitisse ostendat.⁸⁶

Nunc autem — concludit *Maximus* — illam mixtam operationem solam theandricam appellavit (*Dionysius*); Siquidem ut Deus tantum operabatur, quando absens centurionis filium sanabat. Ut homo tantum (etsi etiam Deus erat) comedebat et tristabatur. Mixtim autem operabatur miracula caecis oculos illiniendo et haemorrhousae fluxum solo tactu sistens.⁸⁷

Etiam *Maximus Confessor*, uti ex textibus allatis patet, doctrinam de duplici Christi natura et de duplici activitate formula christologica *Leonis Magni* ideo fundat, ut naturas naturalesque proprietates Christi in uno eodemque supposito distinctas et inconfusas consistere probet.⁸⁸

Maximus Confessor porro formula *Leonis Magni* sensu obiectivo intellecta ductus cum *Sophronio*, patriarcha Hierosolymitano, operationes Christi mixtas et distinctas, tum ab operationibus Christi pure divinis, tum etiam ab operationibus Christi humanis, theandricas dicendas esse sustinet.

Straubinger, qui *Pseudo-Dionysium* cum *Maximo Confessore* sensu obiectivo interpretatur, duos textus ex eodem *Pseudo-Dionysio* affert, quibus *Maximus Confessor* Christum in operibus divinis de facto semper humanitate usum esse affirmare videtur.⁸⁹

Utrumque textum ex *Epistola Maximi ad Nicandrum*, episcopum Cyprensem, desumptum etiam nos supra attulimus.⁹⁰

Textus vero ad quem *Straubinger* primo loco provocat, communionem seu cooperationem mutuum utriusque naturae sensu absoluto in rei veritate proponere videtur.⁹¹

Attamen idem textus alio textu, quem *Straubinger* loco secundo affert, explicandus remanet, in quo *Maximus Confessor* formula *Leonis Magni* sensu obiectivo intellecta et quoad utramque Christi operationem restricta, exclusive operationes Christi mixtas ut theandricas habendas esse asserit.⁹²

Ceterum difficultas a Straubinger ex Maximo Confessore ellata, quae ex formula Leonis Magni sensu obiectivo intellecta necessario exoritur, in interpretatione subiectiva, quae, uti supra monuimus, nulla restrictione indiget, simpliciter tollitur.

3. Martinus I. papa.

Si ergo — ait Martinus I. papa in sessione III. concilii Lateranensis — in omnibus adversariorum ratio reprehenditur, certum quoniam non unam secundum illos ostendere volens operationem sanctus Dionysius, sed duplicem, duplicis naturae, compositivo sermone abusus est, duas unius eiusdemque in unitate operationes ostendens. Et ideo prudentissime ait: Neque secundum Deum divina operatus, neque secundum hominem humana; summam nobis unionem denuncians sicuti naturarum, ita et eiusdem naturalium operationum: quoniam summae unionis est proprium... operari utraque i. e. eundem humane divina et divine humana. Nec enim nuda deitate divina neque pura humanitate humana sed per carnem quidem intellectualiter animatam atque unitam eidem substantialiter, operabatur sublimer miracula; et iterum per potestatem validissimam vivificarum eius passionum sponte pro nobis experimentum suscipiebat, ut et unionem ostendat et differentiam innotescat. Et unionem quidem, per alternam... conglomerationem operationum suarum; differentiam autem, ex conservatione proprietatis naturalis. Hoc enim erat, secundum quod ait doctor... omnium novitatum supereminens novitas. Non enim ut utrasque, i. e. divinam et humanam, unam eandemque operationem... ostenderet, quia hoc immutatio et penitus peremptio est... Nam dicere absolute unam operationem, qualem habet novitatis super naturam probationem. Quod et Leo sanctae, catholicae... et apostolicae nostrae sedis... praesul sapienter intelligens, scripsit: Operatur enim utraque forma cum alterius communiione quod proprium est... ut et differentiam ostendat per hoc, quod operatur, quod proprium est: et unionem significet per hoc quod dicit, cum alterius communiione. Hoc est enim novae deivirilis operationis proprium, i. e. divinae et humanae secundum unionem cohaerenter indivisam in eodem ipso cognitam.⁹³

Nam beato Dionysio asserente — ait Martinus I. papa in eadem sessione tertia concilii Lateranensis — sicut audistis dilectissimi fratres, novam quandam deivirilem operationem inter nos conversatum, uterque eorum apertissime contra patrem mentitus est. Et Cyrus quidem in suo septimo capitulo »novam« immutando et »unam« pro »nova« asserendo deivirilem operationem quasi dixisse doctorem perhibens. Sergius autem in epistola de huiusmodi quaestione ad Cyrum scripta, tam immutationem »novae« cum illo confirmans, et non solum hoc, sed et doctoris deivirilem amputans penitus vocem, et unam absolute in Christo Deo dogmatizans operationem, facientes dolum quasi novaculam acutam...⁹⁴

Deus dedit, episcopus Caralitanus in eadem sessione Dionysii interpretationem obiectivam a Martino I. papa prolatam acceptat et Cyrum nec non Sergium a Sophronio iuste reprehensos et ab apostolica sententia iure merito condemnatos esse affirmat.⁹⁵

Martinus papa sub influxu formulae christolocae Leonis Magni sensu obiectivo intellectae Dionysium illustrando activitatis theandricae ambitum a Sophronio et Maximo admissum dilatare videtur quatenus scilicet ipse non tantum operationes Christi mixtas sed etiam, si non omnes, saltem operationes Christi humanas sensu stricto soteriologicas, ut theandricas habendas esse asserit.

Martinus papa nimirum verbis Leonis Magni: »Unum horum coruscet miraculis« Christi miracula, uti patet, et verbis: »et alterum succumbit iniuriis« per potestatem validissimarum eius passionum sponte pro nobis, experimentum« susceptum seu operationes Christi humanas prae oculis habere dicendus est, quatenus characterem soteriologicum a supposito divino Verbi hauriunt, a quo natura humana sustentatur, dirigebatur et afficiebatur.

Attamen Leo Magnus »miracula« et »iniurias« minime ut opera utriusque naturae communione peracta seu mixta recensere sed duas naturas in uno eodemque supposito in Christo diversas et inconfusas demonstrare videtur.⁹⁶

4. Joannes Damascenus.

Joannes Damascenus praeprimis inter operationes solius animae, animae humanae principatum tenentis et per corpus tanquam per instrumentum agentis et operationes corporis per animam gubernati ac moti atque effectus animae et corporis rite distinguendum esse insistit.⁹⁷

Ad hunc modum — adiungit Damascenus — in Domino quoque... Christo, virtus miraculorum divinitatis ipsius operatio erat; at manuum opera, et velle... humanitatis ipsius operatio: opus autem humanae operationis panum fractio, quodque leprosus audierit volo, divinae operationis panum multiplicatio, leprosi mundatio. Utraque enim operatione, hoc est animae et corporis, unam et eandem, eiusdem generis atque aequalem operationem ipsius divinam ostendebat.⁹⁸

Sicut enim — prosequitur Damascenus — ipsius Christi naturas inter se unitas seseque penetrantes (*ἐξοῦσας περιχώρησαι*) scimus, nec tamen propterea distinctionem earum infitiamur, sed eas et numeramus, licet divisionis expertes noscamus; sic et voluntatum et operationum; tum coniunctionem, tum etiam distinctionem agnoscimus, sicque eas numeramus, ut tamen divisionem non inducamus. Ut enim caro, quamvis deificata (*τεθειωται*) non tamen naturae suae proinde mutationem subit, eodem modo, licet voluntas et operatio deificentur (*τεθειωται*) non tamen a finibus suis excesse-

runt. Unus enim, idemque est, qui et hoc et illud est; et hoc et illo modo, hoc est, divino et humano, vult et agit.⁹⁹

Cum itaque — concludit *D a m a s c e n u s* — duae in Christo naturae sint, duas quoque in eo operationes dicere necesse est... Quod si unam operationem in Christo dixerimus, nihil afferri poterit, quin Verbi divinitati animae intelligentis affectiones, puta metum, moerorem et mortis anguores attribuamus... Sed et in candenti gladio — confirmat *D a m a s c e n u s* cum *M a x i m o* et *B a s i l i o M a g n o* — uti ignis, tum ferri naturae servantur, ita et duae operationes, et earum effecta. Nam ferrum secandi et ignis urendi vim habent; ut sectio quidem operationis ferri opus sit, ustio autem ignis; ac discrimen; tum in ferri ardenti sectione, tum in secta ustione servatur; tametsi post huiusmodi unionem, nec ustio supra sectionem sit, nec sectio sine ustione: nec quia duplex est naturalis actio, duos proinde candentes gladios dicimus; nec rursus, quia unus dumtaxat incensus est gladius, ob eam causam substantialem horum distinctionem confundimus. Eodem modo in Christo quoque divinitatis quidem ipsius, divina et omnipotens operatio est; humanitatis autem ipsius, humana et nostrae similis. Humanae porro operationis opus fuit, quod manu puellam tenuerit atque traxerit, divinae autem quod eam ad vitam revocaverit. Aliud enim hoc, et aliud illud est; tametsi in theandrica actione nequeant disiungi.¹⁰⁰

Naturae Christi — ait *D a m a s c e n u s* contra *Monophysitas* — etsi ratione unionis hypostaticae seu ratione unius eiusdemque suppositi intime unitae, nihilominus ut distinctae accipiendae sunt. Eadem naturae — ut porro *D a m a s c e n u s* etiam contra *Nestorianos* affirmat — etsi distinguuntur et consequenter numerantur, minime dividantur necesse est, quia ut distinctae et indivisae, i. e. in uno eodemque supposito divino Verbi persistentes intelligendae sunt.

Sicut igitur unio naturarum in Christo distinctionem non tollit, ita distinctio et numeratio earundem naturarum indivisionem non perimit, divisionem secum non fert.

Omnino idem, uti patet, de Christi voluntatibus et operationibus dicendum est.

Unio igitur hypostatica neque Christi duas naturas neque duas voluntates et operationes tollit.¹⁰¹

Naturae nempe Christi non obstante deificatione, cuius natura humana per unionem hypostaticam particeps facta est, integrae permanentes et indivisae, seu in una eademque persona divina Verbi existentes, tum divinitatis, tum humanitatis, propria velle atque operari iuxta eundem *D a m a s c e n u m* dicuntur.¹⁰²

Quae tamen operationes Christi divinae et humanae — observat *D a m a s c e n u s* — in actione theandrica seu in actione Dei et hominis, uti est v. gr. resuscitatio puellae per tactum, utpote ab utraque natura procedentes ut unitae accipiendae sunt.

Qua de causa *Damascenus*, antequam de Christi activitate theandrica sermonem ex professo instituet, naturarum Christi communionem in operando evolvendam assumit.

Unam porro — ait *Damascenus* — naturalem operationem Dei et creaturae nemo prudens concesserit, auctore beato *Cyrillo*.¹⁰³ Nec enim humana natura Lazarum a mortuis excitat, nec rursus lacrimatur divina potentia; lacrimae siquidem humanitatis propriae sunt; vita autem vere illius ac subsistentis vitae: attamen utraque communiter coexistunt ratione unius eiusdemque personae. Nam unus idemque Christus est, atque una eius persona, seu hypostasis: attamen duas naturas habet deitatis nimirum et humanitatis... Et quidem claritas naturaliter ex divinitate prodiens, utrique naturae communis effecta est ob personae identitatem; et rursus ob carnem, quae humilia erant, utrique naturae communia fuere. Unus enim et idem est, qui et hoc et illud est, nempe Deus et homo; eiusdemque sunt, tum quae divinitati, tum quae humanitati conveniunt. Etenim divina signa edebat, et non sine carne; caro rursus humilia et non seorsim a divinitate. Nam et patienti carni coniuncta erat divinitas, impassibilis perseverans, passionesque salutare reddens et perficiens; ac rursus operanti Verbi divinitati mens sancta copulata erat, cogitans et intelligens ea quae peragebantur. At divinitas quidem corpori praerogativas suas impartiebat, cum ipsa corporis dolorum immunis maneret. Non enim, quemadmodum Verbi divinitas per carnem operatur, ita etiam per divinitatem caro ipsius perpetiebatur. Divinitatis enim instrumentum caro fuit.¹⁰⁴

Quodcirca — adiungit *Damascenus* terminis *Leonis Magni* — Christus secundum utramque naturam suam operatur, ac in eo utraque natura cum alterius communiōne operatur: Verbo nimirum quae Verbi sunt, cum auctoritate et potentia deitatis efficiente, utpote quae dominatrix simpliciter et regia est; corpore autem, quae sunt corporis exequente, ad Verbi sibi unitum, cuius etiam proprium factum est, arbitrium. Neque enim suoapte nutu ad naturales affectus prosiliebat, nec rursus molesta refugiebat ac detrectabat, ut extrinsecus appulsa, patiebatur, sed movebatur secundum naturalem propensionem volente Verbo et concedente, pati et agere, quae sibi erant propria, ut per opera veritati naturae fides adstrueretur.¹⁰⁵

Quemadmodum — prosequitur *Damascenus* terminis ipsius *Pseudo-Dionysii* — supra quam substantia ferat, virgineo partu substantiam induit, ita etiam supra quam ferat humana conditio, ea quae hominum sunt, agebat; ut cum in fluxa minimeque stabili aqua terrenis pedibus gradiebatur, non ut terrae instar aqua obduresceret, sed ut superexcellenti potentia ita compararetur, ut nequaquam diflueret nec corporeum pedum gravitati cederet. Non enim humano more humana factitabat, quia non homo solum, verum et Deus esset. Unde passiones quoque ipsius vivificae fuerunt ac salutare. Nec divina rursus divino modo agebat; quippe qui non

Deus tantum, sed insuper homo erat: quamobrem tactu et sermone aliisque eiusmodi adminiculis divina signa patrabat.¹⁰⁶

Identitas scilicet hypostasis, quae naturarum in Christo distinctionem minime tollit — prosequitur *Damascenus* aliis verbis — idiomatum seu proprietatum communicationem in Christo fundat. Vi eiusdem communicationis proprietatum uni eidemque personae divinae Verbi in Christo tum divinae tum humanae proprietates attribuuntur et Christo Deo proprietates humanae et Christo homini proprietates divinae praedicantur. Vi deinde eiusdem communicationis proprietatum consequenter naturarum Christi cooperatio mutua, seu communio in operando admitti debet, secundum quam natura divina in operibus humanis et natura humana, vice versa, in operibus divinis iuxta possibilitatem obiectivam partem habuit.

Damascenus deinde in capite speciali impermixtam et inconfusam Christi naturam humanam deificatam esse concludit.

Natura nempe Christi humana a *Damasceno* deificata dicitur primo propter »dispensationis unionem, seu secundum hypostasim, quatenus ita Deo coniuncta est, ut ab eo divelli non possit«, i. e. simpliciter ex eo, quod a Verbo, tanquam a hypostasi propria, formaliter sustentatur.¹⁰⁷

Quae deificatio optime appellari potest deificatio subiectiva, quam *Damascenus* ab effectibus et consecrariis unionis hypostaticae seu a deificatione obiectiva distinguit. Natura etenim Christi humana secundum illum deificata dicitur etiam »quatenus divinarum actionum opibus affluxit ob sincerissimam illam cum Verbo unionem, quae est secundum hypostasim«. ¹⁰⁸

Quae deificatio obiectiva in deificatione subiectiva naturae Christi humanae fundamentum suum ontologicum habet dum in communione seu cooperatione mutua naturarum Christi secundum *Damascenum* manifestatur.

Iuxta ea, quae hucusque ex *Damasceno* attulimus, una eademque persona divina Verbi propriam naturam humanam tanquam hypostasis propria sustentans ut principium *ἡγεμονικόν* dirigebat eamque variis modis afficiebat.

Qua de causa Christus opera humana modo suprahumano seu divino efficiebat. Eadem causa etiam operationes eius humanae salutare factae sunt.

Natura insuper humana »non enim propria vi sed ob unitum sibi Verbum divina patrabat« quatenus Verbum in miraculis patrandis natura sua humana ut instrumento utebatur.

Hoc ultimum *Damascenus* in expositione sua de deificatione naturae Christi humanae iterato extollit.¹⁰⁹

Quibus omnibus explicatis *Damascenus Pseudo-Dionysii* formulam christologicam ex professo tractandam atque illustrandam aggreditur.¹¹⁰

Cum beatus *Dionysius* — ait *Damascenus* — novam quandam activitatem theandricam, seu Dei simul et hominis, activitatem nobiscum obiisse dicit, non ut naturales operationes tollat,

unam ex humana et divina operationem conflata docet... verum ita loquitur, ut novum illum et arcanum modum, quo naturales Christi operationes se explicant, arcano illi mutuae naturarum ipsius immeationis (*περιχωρήσεως*) modo congruentem, humanam item genus novum et admirabile, et in rerum natura incognitum; ac denique alternae illius communicationis, quae ex ineffabili unione oritur, rationem indicaret. Non enim aut seiunctas operationes, aut naturas divisim operari dicimus, sed coniunctim utraque cum alterius communione illud quod quaeque proprium habet agere. Neque enim humana humanitus efficiebat, cum purus homo non esset; nec rursus divina divino dumtaxat modo, quandoquidem non solum Deus erat, sed Deus simul et homo. Nam uti naturarum tum unionem, tum naturalem distinctionem habemus, ita etiam naturalium voluntatum et operationum... Itaque dicere: Agit Christus secundum utramque naturam, perinde est ac, cum dicimus: Agit utraque natura in Christo cum alterius communione. Quare divina quidem natura eo nomine cum carne operante communicat, quod caro divinae voluntatis beneplacito, quae ipsi propria sunt, pati agere sinatur, quodque carnis operatio prorsus salutifera sit; id quod non humanae, sed divinae potius operationis est. At caro vicissim cum operante Verbi divinitate communicabat, tum quia per corpus veluti per instrumentum quoddam, divinas operationes efficiebat; tum quia unus idemque erat, qui et divino simul, et humano modo operabatur.¹¹¹

Scire autem oportet — prosequitur *D a m a s c e n u s* — sanctam ipsius mentem naturales suas operationes exequi. Nam et se Dei mentem esse, atque ab omnibus rebus conditis adorari cogitat et agnoscit, ac eorum quae in terra gessit et pertulit, recordatur. Caeterum cum operante Verbi deitate, qua cuncta reguntur et gubernantur, communicat, omnia intelligens, cognoscens, et administrans, non ut simplex et nuda mens hominis, sed ut quae Deo secundum hypostasim unita sit, Deique mens existat.¹¹²

Nihil igitur — concludit *D a m a s c e n u s* — aliud activitas theandrica declarat, quam quod Deo facto homine, hoc est, incarnato, humana quaeque ipsius operatio divina erat, sive deificata, nec divinae ipsius operationis expers: rursusque divina ipsius operatio humanae ipsius operationis exors non erat, verum utraque una cum altera considerabatur... Quemadmodum enim igniti gladii incisam unam ustionem, atque inustam sectionem dicimus, et tamen sectionem distinctam ab ustione esse, nec non alius aliusque naturae asserimus; ignis nempe ustionem ac ferri sectionem: ad eundem modum theandricam unam Christi activitatem dicentes, duas ambarum ipsius naturarum operationes intelligimus; divinitatis videlicet ipsius, divinam, humanitatis autem, humanam operationem.¹¹³

D a m a s c e n u s igitur activitatem theandricam tum sensu negativo tum sensu positivo explicat.

Activitas theandrica vel una activitas theandrica minime unam ex duabus operationibus coalescentem, conflata et complexam significat, sed duas distinctas operationes Christi unitas.

Quapropter in Pseudo-Dionysii formula christologica undequaque explicanda omnia illa repetit, quae de naturarum Christi communione seu cooperatione mutua formula christologica Leonis Magni sensu obiectivo intellecta innixus iam antea dixerat.¹¹⁴

Christus enim eo ipso quod secundum utramque agit naturam, utriusque naturae propria necessario utriusque naturae communione seu cooperatione mutua perficit, quia naturae Christi iuxta Damascenum non »divisim« sed »coniunctim« propria peregrisse existimandae sunt.¹¹⁵

Activitas igitur theandrica secundum Damascenum tam late patebit, quam late communionem naturarum Christi operantium obiectivam patere idem asserit.

Communio seu cooperatio naturae Christi divinae ad omnes operationes Christi humanas a Damasceno extenditur. Communionem vero seu cooperationem naturae humanae ad operationes Christi divinas Damascenus sensu quidem absoluto verbotenus proponit, sed in rei veritate ad opera tantum Christi mixta restringere videtur i. e. ad operationes tantum Christi divinas seu miraculosas, in quibus patrandis Christus natura sua humana utebatur »quia unus idemque erat, qui divino simul et humano modo operabatur.«¹¹⁶

Quibus omnibus suppositis Damascenus ex deificatione naturae Christi humanae obiectiva activitatem theandricam definire pergit atque, una ex parte, operationes Christi mixtas, et alia ex parte, omnes operationes Christi humanas qua tales ut theandricas habendas esse affirmat.

Damascenus igitur cum Sophronio, Maximo Confessore et Martino papa Pseudo-Dionysium sensu obiectivo intelligit.

Differt vero idem Damascenus ab iis quoad ambitum activitatis theandricae, quatenus videlicet eos sub influxu formulae christologicae Leonis Magni sensu obiectivo intellectae complet et perficit atque activitatem theandricam non tantum ad operationes Christi mixtas, sed etiam ad omnes operationes Christi humanas qua tales — et non solum ad operationes Christi soteriologicas sensu stricto — extendendam affirmare videtur.¹¹⁷

Qua de causa interpretatio obiectiva a Damasceno allata magis placet quam interpretatio a Sophronio et Maximo Confessore proposita, qui una ex parte interpretationem obiectivam formulae Pseudo-Dionysii acceptant et alia ex parte exclusive operationes Christi mixtas ut theandricas habendas esse dicunt.¹¹⁸

Idem omnino etiam de Martino I. papa dicendum est, si ipse non omnes operationes Christi humanas, sed tantum soteriologicas, sensu stricto sumptas, theandricas appellandas esse existimat.¹¹⁹

Iam vero iuxta interpretationem subiectivam formulae Pseudo-Dionysii non tantum, uti ostendimus, operationes Christi

mixtae et omnes operationes Christi humanae qua tales, sed etiam omnes operationes eius divinae theandricae appellari possunt.

5. S. Thomas.

Secundum S. Thomam Dionysius in Christo operationem theandricam i. e. divinam — virilem, vel divinam — humanam ponit non per aliquam confusionem operationum seu virtutum utriusque naturae sed per hoc, quod divina operatio eius utitur humana eius operatione et humana operatio participat virtutem divinae operationis.¹²⁰

Unde — pergit S. Thomas — sicut ipse (Dionysius) dicit in quadam epistola (ad Caium), super hominem operabatur ea, quae sunt hominis; quod monstrat Virgo supernaturaliter concipiens, et aqua terrenorum pedum sustinens gravitatem. Manifestum est enim, quod concipi est humanae naturae, similiter et ambulare: sed utrumque fuit in Christo supernaturaliter. Et similiter divina operabatur humanitus: sicut cum sanavit leprosum tangendo. Unde in eadem epistola subdit: Sed Deo homine facto, nova quadam Dei et hominis operatione.¹²¹

Attamen Dionysius — prouti de Maximo Confessore disserentes monuimus — Christi nativitatem miraculosam ut operationem theandricam afferre non videtur. Etenim tum nativitatem miraculosam, tum opera miraculosa affert, ut Christum verum et non merum hominem, sed Deum simul et hominem seu subiectum theandricum esse probet.¹²²

6. Petavius.

Vox ista *θεανδρική* — ait Petavius — haud dubie ex duabus deflexa, *θεοῦ* et *ἀνδρός*, utrumque concurrere in talem operationem indicat: sed utrum uniusmodi sit, hoc est singularis aliqua ex utroque mixta, et temperata genere: an duae sint, et ab singulis profectae naturis singulae, non aperte demonstrat. Quorum prius Monothetae posterius Catholici tenuerunt.¹²³

Quocirca catholici doctores — prosequitur Petavius — unam numero dici operationem Christi minime sunt passi; sed duas prorsus esse voluerunt; quae in unum eatenus convenerint quod unus esset idemque operator utriusque, Christus Deus et homo. At haeretici Monothetae, quorum animos Monophysitarum error occuparat, uti naturam unam ex duabus complexam et conflata[m] tacite Christo tribuebant, sic unam et singularem illius operationem amplexi sunt. Cui illorum amentiae ideo Patres intercesserunt, unam esse negando, duas et distinctas asseverando.¹²⁴

Proinde vox illa *θεανδρική* — addit Petavius — non unitatem actionis velut ex una profectae natura composita significat, ut stulte nugati sunt haeretici, sed *ἐνεργειῶν* ambarum summam, et artissimam copulationem, salva utriusque proprietate, ac natu-

rali differentia; ut in naturis ipsis usuvenit: ut non alia sit, quam principii, et originis coniunctio, quatenus idem est, qui utraque operatione fungitur.¹²⁵

Ut autem — extollit Petavius — sanus omnis illorum, et catholicus τῆς Θεανθρωπικῆς ἐνεργείας sensus ab haeretica fraude secretus, et sincerus appareat, diligenter est recolenda varietas operationum, quam in Christo triplicem theologi veteres agnoverunt. Cuius differentiae ratio ex triplici vocum proprietate petitur, quae de Christo in sacris libris usurpantur: quas Cyrillus Alexandrinus notavit in epistola ad Acacium Melitenensem episcopum. Etenim aliae sunt voces, ait, quae divinae maxime conveniunt; aliae quae in humanam naturam congruunt: aliae medium quandam ordinem tenent, ac Dei filium pariter, et hominem simul, et eadem significatione comprehendunt; quarum omnium exempla subiicit. Divinitati soli tribuitur vox illa Christi; Ego in Patre et Pater in me est, humanitatis vero propria haec est: Quaeritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum. Porro communes sunt quae naturam utramque significant; ut illa: Jesus Christus heri et hodie et ipse in saecula. Huiusmodi autem voces, ac locutiones, quae privatim divinae, aut humanae naturae assignari dicuntur, non sic intelligendas esse Cyrillus docet, ut quasi diversis, ac seorsim positis attribuantur: sed ut in unum eundemque Deum et hominem Christum sub diversa ratione conserantur. Itaque in anathematismo quarto Nestorium damnavit, quod voces illas singularum naturarum proprias non uni et eidem pro indiviso deferret; sed personas itidem ut naturas dirimeret.¹²⁶

Secundum Petavium igitur illae operationes Christi, quas Cyrillus Alexandrinus communes, i. e. mixtas habet, a Sophronio, patriarcha Hierosolymitano, Maximo Confessore et Ioanne Damasceno theandricae dicuntur.¹²⁷

Attamen Petavius activitatem theandricam latius patere putat, quatenus ipsa videlicet non tantum operationes Christi mixtas sed etiam omnes eius operationes in se humanas seu humanas quales comprehendere videtur ea ratione praecipue, quod vi proprietatis personalis Verbi naturae Christi humanae communicatae seu vi unionis hypostaticae deificantur, quatenus ab una eademque scilicet persona divina Verbi eliciuntur.¹²⁸

Etenim nulla — prosequitur Petavius — nisi subsistens, agit natura quippiam, ac prius definiri et terminari illam oportet, certaquo consistendi proprietate devinciri, quam functionem ullam praestare possit. Itaque personalis proprietatis... etsi per se, et praecise loquendo non sit efficax et actuosa, eam tamen vim habet, ut naturam afficiens, et, ut dixi, complens, ac terminans eandem ad agendum instructam et idoneam reddat. Ex quo illud oritur, ut quaelibet actio Christi divina sit, etiam illa, quae mere est ἀνθρώποπαραλής et alioquin indigna Deo, quatenus humanitas eam exercere vel perpeti, nisi divina Verbi proprietate, tamquam forma completa, determinataque non posset. Huc omnes illae Veterum

sententiae spectant, et ex eo interpretandae sunt, quae humanam naturam et ἐνέργειαν Christi... idcirco deificatas esse docent quod cum Deo Verbo copulatae sint, et eius propriae factae; natura quidem per se, et, ut loquuntur, formaliter, affecta divini Verbi proprietate; hoc est natura ipsamet divina, quae est in Verbo, et eius peculiari modo subsistendi, quasi forma, terminatur, et completur.¹²⁹

Ad quam deificationem naturae Christi humanae subiectivam probandam Petavius ad textus ex Maximo Confessore et Joanne Damasceno recurrit.¹³⁰

Hinc apparet — concludit Petavius — quomodo humanae omnes actiones Christi deificatae divinaeque fuerint, intima quadam, et naturali, proprieque dicta ratione: non solum propter qualemcumque cum Deo Verbo coniunctionem, et naturarum inter se mutuam commutationem, vel proprietatum communionem: sive quod humana natura auctore ac moderatore Deo ita gubernabatur. nihil ut sine ipsius nutu prorsus ageret; verum eo maxime, quod agendi vim et potentiam a divina persona, tamquam a forma determinante, et perficiente, et ultimum substantiae complementum adhibente caperet, sine quo nec existere in rerum natura, nec operari omnino potuisset; ex quo factum est, ut operationes omnes hominis propriae, divinae censerentur, vereque θεανδρικά¹³¹

Iuxta Petavium itaque omni claritate non patet, utrum terminus: „θεανδρική“ sensu orthodoxo, an vero heterodoxo intelligendus sit.

Iam vero formula Pseudo-Dionysii, uti probavimus, non modo in interpretatione obiectiva sed etiam in interpretatione subiectiva sensum orthodoxum plane prodit.

Nullum dubium deinde est, quin omnes operationes Christi humanae deificatae dici possint ratione deificationis obiectivae naturae Christi humanae.¹³²

Nullum ulterius dubium esse potest, quin omnes operationes Christi in se humanae seu humanae qua tales et distinctae ab operationibus mixtis etiam ratione deificationis subiectivae theandricae dici possint.¹³³

At quaestio est, quomodo Pseudo-Dionysius activitatem Christi theandricam intellexerit.

Omnes operationes Christi humanae qua tales in interpretatione subiectiva Pseudo-Dionysii certe theandricae dici possunt et debent.

Si vero cum Petavio interpretationem obiectivam praesupponas, omnes simpliciter operationes Christi humanae qua tales etiam ratione deificationis obiectivae theandricae dicendae sunt.

Si Petavius igitur interpretatione obiectiva accepta nihilominus operationes Christi in se humanas et ab operationibus mixtis distinctas ratione deificationis subiectivae naturae Christi humanae theandricas dicendas esse asserit, id certe independentem a formula Pseudo-Dionysii fecit.

Praeterea Petavius Maximo Confessore et Ioanne Damasceno innixus activitatem theandricam amplificandam i. e. ad omnes operationes Christi humanas qua tales et quidem ratione deificationis subiectivae naturae Christi humanae extendendam esse affirmat.

Iam vero teste eodem Petavio, uti supra vidimus, Maximus Confessor et Ioannes Damascenus Pseudo-Dionysium explicantes mixtas ut distinctas, tum ab operationibus divinis, tum ab operationibus Christi humanis, theandricas dicendas esse ostendunt. Qua de causa aut Petavium sibi contradicere concedendum est, aut activitatem theandricam a Maximo etiam et a Damasceno independentem a Pseudo-Dionysio productam esse dicendum est.¹³⁴

Textus denique, quos Petavius ex Maximo Confessore et ex Ioanne Damasceno affert, deificationem naturae Christi humanae obiectivam potius quam subiectivam continere videntur.¹³⁵

7. Scheeben.

Pseudo-Dionysius iuxta Scheeben activitate theandrica una ex parte operationes humanas influxu naturae divinae eidem personae (sc. Verbi) inhaerentis et altera ex parte operationes divinas cooperatione naturae humanae eidem videlicet personae divinae Verbi inhaerenti perpetratas comprehendit.¹³⁶

Quibus positis — pergit Scheeben — omnes operationes Christi humanae sine ulla exceptione etiam operationes theandricae essent, quia operationes Christi humanae etiamsi influxum divinum diversis rationibus participant, nihilominus omnes characterem theandricum eodem sensu exhibent quatenus a humanitate suppositi divini (sc. Verbi) eliciuntur, a quo dignitatem divinam hauriunt. E contra omnes operationes Christi divinae, quas videlicet Christus per divinam naturam tantum, i. e. in unitate aliarum personarum divinarum, perfecisse existimatur, operationes sane Dei et hominis sunt, at non Dei et hominis sensu reduplicativo, quia natura scilicet humana omnibus operationibus Christi divinis perficiendis communicare capax non est.¹³⁷

Itaque cum operationes Christi theandricae ab operationibus Christi pure divinis distinguendae sint, nonnulli patres — concludit Scheeben — praesertim Maximus Confessor et Ioannes Damascenus operationes easdem theandricas ab operationibus Christi etiam pure humanis distinguunt ita, ut omnes operationes Christi humanae theandricae non essent. Nihilominus iidem patres — adiungit Scheeben — Maximus videlicet et Ioannes Damascenus non negant omnes operationes Christi humanas theandricas vero sensu existere, sed sensu speciali et eminenti operationes Christi divinas cooperatione naturae divinae et operationes Christi humanas naturae eius divinae cooperatione perpetratas theandricas esse dicunt, et quidem ea

praecipue ratione, quod eadem operationes unitae, sed et inter se distinctae, subiectum theandricum excellenter manifestant, uti sunt v. gr. sanationes miraculosae, quas Christus solo tactu efficere solebat.¹³⁸

Admissa interpretatione obiectiva Pseudo-Dionysii Scheeben omnes operationes Christi divinas theandricas esse negat et ad deificationem naturae Christi humanae etiam subiectivam principaliter recurrit, ut omnes operationes Christi humanas theandricas esse probet.

Iam vero omnes operationes Christi humanae vi eiusdem deificationis subiectivae naturae Christi humanae theandricae dici possunt non nisi interpretatione subiectiva Pseudo-Dionysii, secundum quam non tantum omnes operationes Christi humanae, sed etiam omnes eius operationes divinae, theandricae vocari debent.

Maximus Confessor deinde et Joannes Damascenus, ad quos Scheeben recurrit, in eo tamen differunt, quatenus Maximus Confessor, uti supra exposuimus, operationes Christi mixtas exclusive, et Joannes vero Damascenus non modo operationes Christi mixtas, sed etiam omnes operationes eius humanas ac praesertim omnes operationes eius humanas soteriologicas sensu stricto, theandricas arbitratur.¹³⁹

8. Franzelin.

Occurrit primum — verba sunt Franzelini — haec locutio »deivirilis operatio« in: Dionysiana epistola ad Caium, ex qua inter alia etiam illa verba prolata sunt, a Severianis in collatione Constantinopoli habita anno 532., sed ab Hypathio catholico episcopo Ephesino non admissa, quod deprompta essent ex operibus aut suppositiis aut certe dubiae fidei. Accidit deinceps huic formulae fere idem, quod alteri S. Cyrilli sententiae de »una natura Verbi incarnata«. Monotheletae quippe ad hoc dictum Dionysii perpetuo velut ad suum paladium confugere solebant; catholici Patres genuinum eius sensum interpretabantur, quo intelligitur illa formula non ad operationis et voluntatis humanae negationem pertinere, sed ad indicandam unitatem hypostaseos divinae et humanae operantis atque ideo ad declarandam duarum distinctarum operationum non confusionem in unam operationem, sed indivisam unionem ratione unius operantis. Ita in conc. Lateranensi sub Martino I... definitur: »Si quis secundum scelerosos haereticos deivirilem operationem, quod Graeci dicunt *θεανδρικὴν ἐνεργείαν* unam operationem insipienter suscipit, non autem duplicem esse confitetur secundum ss. Patres, hoc est divinam et humanam, aut ipsam deivirilis (sc. operationis), quae posita est, novam vocabuli dictionem unius esse designativam, sed non utriusque mirificae et gloriosae unionis demonstrativam, condemnatus sit.¹⁴⁰

Iam in textu Dionysiano — continuat Franzelin — ex quo vocabulum depromptum est, dupliciter sumitur *θεανδρική ενέργεια*: tum scilicet pro operatione divina, quam Christus exseruit cum aliqua subministratioe naturae suae visibilis, ut quando ambulabat super undas, tactu aut voce sanabat aegrotos, excitabat mortuos etc.; tum sumitur pro operatione humana quam exercuit persona divina per suam naturam humanam. Nam Deus homo cum sit, verissime Deus operatur humana, et hic homo operatur divina. Deus itaque in natura assumpta factus homo divina operabatur non sine carne, et humana operabatur non merus homo sed Deus per suam naturam humanam. Hic est catholicus sensus Dionysiana e sententiae...¹⁴¹

Hoc deinceps sensu — adiungit Franzelin — Patres deivirilem operationem intellexerunt. Est nimirum deivirilis operatio: quaevis operatio Christi humana, idque ob duplicem rationem: potissimum quidem quia est operatio Dei Verbi elicita per naturam humanam et ideo ratione operantis personae est actio infiniti valoris et dignitatis infinitae; praeterea omnis humana operatio Christi censi debet deivirilis etiam ideo, quia nullam edidit unquam operationem humanam, quin simul interveniret operatio divina, non solum per generalem concursum, sed quia Verbum, secundum divinam naturam spectatum, omnes suas actiones humanas, quo nomine semper intelligimus etiam passionem et dolorem omnes sive corporis sive animae, speciali directione et permissione moderabatur. Verbum enim erat *τὸ ἡγεμονικόν* seu principium dirigens, et Verbum natura sua humana intelligente et libera utebatur tanquam organo ad nostram redemptionem.¹⁴²

Specialius deivirilis operatio dicitur iuxta Franzelin quaevis operatio Christi divina, ad quam subinferre voluit aliquod ministerium etiam humanae suae operationis. Hinc patet omnem huiusmodi operationem Christi, quam exercet ut Verbum incarnatum, esse deivirilem, quatenus ibi intervenit revera duplex operatio distincta, divina et humana secundum duplicem naturam operantis, contra ac Monothetae asserebant Christi operationem omnem esse deivirilem, eo quod una sit sicut unus operans, eaque vel composita vel simpliciter transiens per naturam humanam inertem et nihil operantem...¹⁴³

9. Schell.

Cyrus patriarcha Alexandrinus — ait Schell — Monophysitas Severianos ad unionem adduxit per Symbolum, iuxta quod unus Christus secundum Pseudo-Dionysium divina et humana una activitate theandrica operatus est. Et Dionysius »nova quadam activitate theandrica« suspitioni ansam praebuit, iuxta quam ipse unam naturam Christi ex compenetratioe mutua divinitatis et humanitatis, uti natura hominis ex corpore et anima constituitur, exortam professus est.¹⁴⁴

Schell deinde in Christo operationes pure divinas seu tribus Trinitatis personis communes et operationes theandricas distinguit.¹⁴⁵

Operationes vero theandricas iterum duplici sensu intelligit.

Primo loco operationes theandricae sunt illae operationes, quae naturae Christi divinae cooperationem praesupponunt atque sapientiam, sanctitatem, summam Christi potestatem et auctoritatem divinam in miraculis perficiendis, in exercitio triplicis muneris: prophetiae, regis et sacerdotis, resurrectione, descensu ad inferos, ascensione, ecclesiae nec non sacramentorum institutione manifestant. Secundo loco operationes theandricae a Schell omnes operationes Christi pure humanae dicuntur et quidem ratione suppositi divini a quo procedere percipiuntur, uti sunt actiones et passiones internae eius et externae vitae, necessitates ac debilitates, quas Christus passus est, uti sunt: fames, defatigatio, tristitia, dolores, etc. excepto peccato.¹⁴⁶

10. Einig.

Tripliciter autem propter »mirificam et gloriosam unionem« —prosequitur Einig textu Dionysii allato— Christi operationes deiviriles dicuntur: sensu generali vocari possunt operationes deiviriles actiones Christi omnes tum quas operatur per naturam divinam, tum quas per naturam humanam operatur; idque ratione suppositi agentis: nam incarnatione peracta neque Verbum quid operatur carne veluti nudatum, quacum est semper hypostatice unitum, neque Christus homo quidquam agit divinitate desertus, cum semper homo ille sit Deus...

Sensu speciali deiviriles dici possunt operationes Christi humanae, tum quia una ex parte principium, quo eliciuntur, natura humana est, altera ex parte haec natura humana ipsius Verbi est propria, tum quia nulla est operatio naturae humanae, quin dirigatur per naturam divinam tanquam principium suum *ἡγεμονικόν*...

Sensu specialissimo vocantur operationes deiviriles actiones Christi miraculosae, sc. actiones divinae (quae ut tales propriae non sunt nisi una operatio eaque communis tribus personis) quibuscum natura humana concurrit tanquam medium atque instrumentum ad effectum supernaturalem producendum; eae sc. operationes, quas Patres mixtas vocant...¹⁴⁷

Einig igitur praeter interpretationem obiectivam etiam interpretationem subiectivam Pseudo-Dionysii possibilem esse non negat.

In interpretatione enim Pseudo-Dionysii subiectiva tantum assertio ab Einig sensu absoluto prolata, iuxta quam »neque Verbum quid operatur carne veluti nudatum«, ut vera sustineri potest, cum, accepta interpretatione obiectiva eiusdem Pseudo-Dionysii, cooperatio naturae Christi humanae ad omnes operationes Christi divinas absona sit.

Qua de causa ex eo, quod »neque Verbum quid operatur carne veluti nudatum« et quod »neque Christus homo quidquam agit divinitate desertus« duarum Christi naturarum in propriis perficiendis non communitio in operando obiectiva sed communitio tantum subiectiva sequitur.

11. Janssens.

Quae quidem formula (sc. Pseudo-Dionysii) — ait Janssens in suo Praenotamine historico de Monothelismo — recte sapit, si mere influxum virtutis divinae in virtutem humanam Christi exprimit, aut principium divinum personale pervadens actiones facultatum humanarum; est autem erronea, si intelligatur de absorptione virtutis humanae per virtutem divinam. Est quippe tunc nihil aliud, nisi mitigata formula Monophysitismi. Unde nil mirum, si Theodosiani in pacem cum Cyro recepti, veluti triumphantes exclamarint, Chalcedonense Concilium ad se venisse, non se ivisse ad illud.¹⁴⁸

Actiones sunt — explicat Janssens — simul personarum et naturarum. Quum ergo in Christo duplex sit natura et una persona, omnes operationes Christi sunt illius, qui simul est Deus et Homo, dummodo formaliter sint Dei — hominis, hoc est, dummodo in ipsis adsit communicatio naturarum. Istaes operationes vocantur... theandricae, deiviriles... Haec autem communicatio — teste Janssens — latius patet a parte naturae divinae, quam a parte naturae humanae. Etenim multae sunt actiones Verbi, quibus humana natura non participat v. gr., creare novas animas; nulla autem est actio humanae naturae, cui non participat natura divina; et quidem duplici gradu: quatenus natura divina identificatur cum principio subsistente v. gr., in ambulatione Christi; quatenus movet instrumentaliter naturam humanam, v. gr. in resurrectione mortui per physicum contactum effecta. Hae operationes proprius theandricae sunt.¹⁴⁹

Ex his sequitur — concludit Janssens — in Verbo operationes esse duplicis generis: alias, quibus Pater et Spiritus Sanctus communicant, et hae non sunt theandricae; alias, quibus non communicant, et hae sunt theandricae. Istaes autem rursus distinguuntur in theandricas formaliter, uti: resuscitare mortuum per contactum; et theandricas materialiter, uti deambulare. Nihilominus, quatenus Incarnatio est donum supremum Dei, mediate dici possunt ipsae personae Patris et Spiritus Sancti omnibus theandricis Christi operibus participare.¹⁵⁰

12. Pohle.

Pohle cum Maximo Confessore in Christo operationes triplicis generis distinguendas esse ait i. e. pure divinas, pure humanas et mixtas.

Operationes Christi pure divinae, ut creatio et conservatio mundi, cardiognosis etc. utpote tribus personis communes, theandricae non sunt.

Ut theandricae sensu propriissimo et strictissimo operationes Christi mixtae sunt i. e. operationes per se et in se divinae, quae tamen naturae humanae cooperatione factae percipiuntur, uti est v. gr. resuscitatio Lazari per vocem: Lazare, veni foras.

Attamen — adiungit P o h l e — etiam operationes Christi pure humanae et passiones, uti sunt fames, sitis, defatigatio, tristitia, dolores, mors etc. theandricae sensu lato iure merito dici possunt, quatenus ab uno eodemque supposito, principio quod — causatae percipiuntur, a Verbo videlicet divino, quod ut principium *ἡγεμονικὸν* naturam humanam ut principium quo dirigere eamque variis rationibus afficere supponitur, ita ut Filius Dei passione et morte sua acerba ad redimendum genus humanum idoneus esset.¹⁵¹

13. Pesch Christianus.

Monothetae — ait P e s c h — ad effatum vulgati Dionysii Areopagitae in Epistola 4. ad Caium monachum... provocabant... Patres vero catholici hoc dictum formulam videlicet christologicam Pseudo-Dionysii ita interpretati sunt, ut sensus sit, in Christo operationes divinas et humanas esse in uno supposito quod suppositum cum sit *θεάνθρωπος* vel *θεάνθρωπος* vel *ἀνθρώπειος θεός*, ut idem Dionysius ait, omnis operatio Christi ut Christi vocari potest deivirilis operatio. Cum vero haeretici hac formula abuterentur, eius genuinus sensus declaratus est a concilio Lateranensi sub Martino I. can. 15.¹⁵²

Deivirilis — continuat P e s c h — vocari potest omnis actio humana Christi, tum quia haec actio dignificatur ab hypostasi divina, cuius est actio; tum quia Verbum peculiari providentia dirigebat omnes actiones humanae naturae. In specie deivirilis dicitur operatio Christi, quae in se quidem divina est, neque vero perficitur sine ministerio humanae naturae, ut cum Christus tactu vel voce aegros sanabat aut in mari ambulabat. Hae operationes, in quantum divinae erant, Christo erant communes cum Patre et Spiritu Sancto; eadem vero operationes, in quantum per hypostasim Verbi coniunctae, erant cum humana natura, non erant communes Patri et Spiritui Sancto... Itaque operationes pure divinae Verbi, ut creatio et conservatio non sunt theandricae, eae vero operationes Christi, quae vel sunt mere humanae, ut edere et dormire, vel mixtae ut Lazarum vocando resuscitare a mortuis, sunt theandricae, quia in his divina Christi operatio utitur humana et humana participat virtutem operationis divinae.¹⁵³

14. Diekamp.

Transeamus ad opinionem, quam Diekamp hac in re defendit.

Monothetae — ait Diekamp — Dionysium qua testem principale invocabant, ut suam haeresim, secundum quam una et unica activitas theandrica in Christo admittenda est, probent.¹⁵⁴

Formula Pseudo-Dionysii de activitate theandrica — prosequitur Diekamp — sensu orthodoxo tamen intelligi potest et contra Monotheletas a theologis, praecipue a Sophronio, patriarcha Hierosolymitano, Maximo Confessore et a concilio Lateranensi a. 649. (contra Monotheletas) defendebatur.

Triplex enim — pergit Diekamp — operatio Christi distinguenda est, cuius uniuscuiusque Logos (Verbum) semper principium quod existit: operationes videlicet pure divinae (creatio mundi); persona divina Verbi easdem natura divina ut principio quo perficit; haec igitur nullatenus theandricae sunt; operationes Christi simpliciter humanae (videre, audire, ambulare). Eaedem theandricae vocari possunt, quia Verbum natura humana ut principio quo easdem perpetrat. Denique operationes Christi mixtae, quas Verbum natura divina sed cooperatione naturae humanae ut instrumento coniuncto perficit, uti est resuscitatio mortui, sanatio miraculosa per tactum.

Quae ultimae operationes — concludit Diekamp — videlicet mixtae theandricae sensu proprio dicendae sunt, cum teste concilio Lateranensi »mirificae et gloriosae unionis demonstrativae« sint.¹⁵⁵

15 Billot.

Billot de Pseudo-Dionysio ex professo non loquitur, sed activitatem theandricam formula christologica Leonis Magni et textibus Joannis Damasceni de Christi activitate illustrat.¹⁵⁶

Porro ea — eius verba sunt — quam Patres agnoscunt utriusque naturae communio in operando, triplici potissimum modo debet considerari. Primo quidem in ordine perfectionis moralis, in quantum operatio humanitatis per divinitatem ita regebatur, ut esset semper ordinatissima, et omnibus numeris absolutum exemplar prae se ferret... Praeterea secundo consideratur haec communio in ordine efficaciae ad extra, in quantum divinitas humanitate utebatur, tamquam instrumento ad operationem miraculorum et eorum quae supra naturam erant... Tertio demum est attendenda communio divinitatis cum operante humanitate in ordine satisfactionis et meriti apud Deum, quatenus Verbi divinitas, non quidem agendo sed formaliter sustentando humanitatem tamquam eius hypostasis, eo ipso praestabat ut actiones meritoriae et satisfactoriae a sola humanitate elicitaе, essent actiones suppositi divini, ac per hoc, infinitam quamdam aestimabilitatem ac dignitatem involverent in genere satisfactionis et meriti.¹⁵⁷

Ex his — concludit Billot — recte concludes, operationem theandricam accipi pro operatione, quae cum sit a supposito divinae simul et humanae naturae, per alterutram naturam cum alterius communione secundum aliquem e tribus modis, perficitur.

Nunc autem, quia nulla fuit humana Christi operatio in qua non communicaverit divinitas, dum e contra humanitas in iis solis operationibus divinitatis communicavit, quae dispensationem incarnationis et redemptionem spectant, sequitur omnem humanam operationem in Christo fuisse theandricam; non tamen vice versa, omnem divinitatis operationem.¹⁵⁸

Ad operationem theandricam — adiungit Billot in Corollario — maxime pertinet satisfactio, quae Christus condigne satisfacit pro peccatis nostris, nec non et meritum, quo generi humano meruit restitutionem gratiae.¹⁵⁹

Ex dictis — continuat Billot — sequitur operationem theandricam in triplici ordine considerari: in ordine moralis perfectionis, in ordine immutationis rerum exteriorum, denique in ordine satisfactionis et meriti apud Deum. Primo modo, operatio theandrica exhibet summum illud ac supremum sanctitatis exemplar quod in Christo toti generi humano illuxit. Secundo modo, dicit miraculorum operationem... Tertio demum modo, dicit satisfactionem per quam sublatum est peccatum mundi, nec non et meritum quo homini lapso restituta est gratia.¹⁶⁰

Porro, si solum attenderemus splendorem qui nostrae mentis oculos, percellit, duobus prioribus modis potissimae partes indubitanter essent attribuendae. Nam in his operatio theandrica sic est effectus incarnationis, ut sit etiam quoad nos maximum eius signum: signum dico faciens incarnationem evidenter credibilem et credendam... Nunc autem in tantum dicimus Christi satisfactionem ac meritum ad operationem theandricam maxime pertinere, in quantum non potuisset esse quocumque modo nisi ab Homine — Deo. Dum contra, norma sanctitatis et miraculorum operatio quae in Christo fuit, non tamen necessario nexu cum unione personali naturae creatae ad Deum connectitur... Bene ergo dicitur satisfactio huiusmodi operatio theandrica per excellentiam...¹⁶¹

Sic igitur — concludit Billot — ex praedictis habes quid sibi velint Doctores, cum de operatione theandrica loquentes, maxime insistent in hoc quod actiones et passiones humanitatis Christi nobis salutares fuerunt.¹⁶²

16. Bartmann.

Monothetae Severiani iuxta Bartmann activitatem Christi theandricam valde inculcabant et auctoritate celebris Pseudo-Dionysii fundabant. Pseudo-Dionysius vero formula utebatur, quae clara in se non erat et Monophysismum sapiebat.¹⁶³

Bartmann distinguit operationes Christi pure divinas seu a persona Verbi divina per naturam divinam peractas (creatio mundi), operationes divino-humanas (die gottmenschlichen) i. e. a persona divina per naturam humanam perpetratas (ambulare, sitire, pati, mori) et operationes mixtas a natura divina naturae humanae ministerio patratas (pleraque miracula).¹⁶⁴

Operationes Christi pure divinae et operationes mixtae toti Trinitati communes sunt et operationes divino-humanae, utpote operationes soteriologicae, Christo propriae et hac de causa theandricae sensu vero dici debent.¹⁶⁵

Consequenter — concludit *Bartmann* — in Christo tantum operationes divinae et theandricae admittendae sunt, quia operationes pure humanae in Christo non existunt quia omnes a Verbo procedere et causari concipiuntur.¹⁶⁶

Idem in confirmationem suae assertionis formulam affert christologicam *Leonis Magni* et commentarium *Joannis Damasceni* in *Pseudo-Dionysium*.¹⁶⁷

Bartmann igitur cum *Billot* illas operationes ut theandricas habet, quas alii auctores aut ut pure humanas aut ut theandricas sensu lato appellant.¹⁶⁸

Commentarius deinde *Damasceni*, ad quem *Bartmann* provocat, non tantum omnes operationes Christi humanas et quidem sensu speciali operationes soteriologicas, sed etiam super omnia, uti supra ostendimus, operationes Christi mixtas seu miraculosas tum divino-humanas tum humano-divinas ut theandricas habet.¹⁶⁹

17. Lercher.

Nomen operationis theandricae — dicit *Lercher* — primum occurrit in scriptis *Pseudo-Dionysii*... Postea nomine abusi sunt *Severiani*, sectatores *Monophysitismi*, affirmantes, hoc nomine significari operationem Christi physice unam. Sensus genuinum formulae declaravit concilium Lateranense sub *Martino I.*... Abhinc terminus »actio theandrica« pertinet ad corpus theologiae catholicae.¹⁷⁰

Operationes Christi — prosequitur *Lercher* — ut iam s. *Maximus* (in epistola 4. *Dionysii Areopagitae*) exponit, triplices generis sunt. Aliae procedunt ex divinitate Verbi sola absque cooperatione naturae humanae Christi. Talem memorat s. *Maximus* sanationem absentis filii reguli. Aliae ex sola natura humana elicitive tamquam a principio quo procedunt: comedere, contristari. Quae tamen actiones, licet elicitive sint ex humana natura, tamen sunt operationes Verbi iuxta axioma: actiones sunt suppositorum. Aliae demum mixtae sunt, in quibus utraque natura simul agit. Huc pertinent pleraque miracula Christi. In his primario divina natura operatur per omnipotentiam; humana natura opus divinum comitatur per contactum aegroti, per iussionem »surge, tolle lectum tuum« et alia eiusmodi. Quae ex his operationibus vocantur theandricae? Ex censu earum profecto seponendae sunt actiones pure divinae. Omnes humanae operationes recte theandricae vocantur duplici ex causa. Primo ratione moralis perfectionis. Omnis operatio Christi dirigebatur a Verbo et ideo vel minima actio humana Christi erat perfectissima. Quum e. c. *Jesus* obediens parentibus opera vilia exer-

ceret, motiones manus cognitione et dilectione infinita dirigebantur. Itaque Jesus homo semper voluit optimum ex parte operantis, etsi non semper optimum ex parte operis... Sic Jesus semper operatus est summa sapientia et bonitate; opera materialiter sumpta erant inaequalia: orare, ambulare, portare aquam. **Secundo** recte vocantur actiones theandricae ratione dignitatis. Nam quia omnes istae operationes sunt Filii Dei unigeniti ut principii, quod operatur, infinitum satisfactionis et meriti valorem habent. Principaliter vero et per eminentiam actiones mixtae, effectiones miraculosae, theandricae vocantur. Operatio mixta duas actiones complectitur, divinam et humanam. Divina est actio Dei unius et trini, humana pertinet ad solam hypostasim Verbi ut ipsius propria.¹⁷¹

18. Galtier.

Formula scilicet de activitate theandrica — animadvertit Galtier — inducta est, labente saec. 5. ab Areopagita in epistola sua 4., ubi dicit Christum »nec divina ut Deum effecisse, nec humana ut hominem, sed, Deo facto viro, novam quamdam deivirilem operationem nobis exhibuisse«.¹⁷²

Qualis igitur ab auctore suo — prosequitur Galtier — usurpata est, Monophysismum potius ac Monothelismum quemdam sapere videtur: unitatem subiecti agentis adeo vult tueri ut, etsi duplex sit in Christo principium operandi specificè diversum, operari tamen sit unicum. Quo sensu formula Monophysitis placuit et a Severo Antiocheno in specie approbata est.¹⁷³

Prioribus propterea — adiungit Galtier — Monothelismi fautoribus visa est apta, in quam convenirent tum Monophysitae moderati tum catholici. Hoc consilio inserta est a Cyro Alexandrino anathematismis, qui dicuntur unionis anni 633., quasi significaret Christum »operari divina humana una theandrica operatione«. Consentit Sergius Constantinopolitanus, qui imo putavit aut putare finxit ad eum sensum posse accomodare formulam sancti Leonis: Agit utraque forma, etc.¹⁷⁴

Exinde vero — pergit Galtier — allata interpretatione Martini I. papae et concilii Lateranensis, Maximi Confessoris atque Joannis Damasceni — formula facta est trita ad significandas Christi actiones, in quibus alterutra »forma agit quod proprium est cum alterius communione«. Huiusmodi vero non sunt nisi actiones, quae dicuntur tum stricte humanae, tum mixtae. Humanae, v. gr. currere, manducare, orare, dolere, obedire etc. quae etsi sunt suppositi divini, ut principii quod, tamen eliciuntur, ut a principio quo, a sola natura humana. His igitur forma divina non communicat, nisi lato sensu, quatenus identificatur realiter in supposito, cuius et a quo valorem ac dignitatem moralem accipiunt ordinis divini. Theandricae proinde non sunt nisi lato sensu.¹⁷⁵

Sensu stricto theandricae sunt operationes mixtae, quarum effectui totali cooperatur, per modum principii elicitivi quo, utraque forma: sic v. gr. ambulare in mari, miracula voce et imperio patrare, condere Ecclesiam, instituere sacramenta... Tunc enim una est complexive operatio utriusque formae, non tantum propter unitatem suppositi et unitatem moralem inter utriusque formae operationem propriam, sed etiam propter coefficientiam unius effectus resultantis.¹⁷⁶

Attamen Pseudo-Dionysii formula christologica quocumque sensu sive obiectivo sensu, uti a Galtier intelligitur sive etiam subiectivo sensu sumitur doctrinam, uti saepe diximus, prorsus orthodoxam continere dicenda est. Utraque enim interpretatio etiam cum ideis christologicis fundamentalibus Pseudo-Dionysii orthodoxis perfecte congruit.

Hisce dictis accedamus oportet ad comparisonem inter utramque interpretationem formulae christologicae Pseudo-Dionysii: obiectivam scilicet et subiectivam.

VI.

Comparatio inter interpretationem obiectivam et subiectivam instituitur.

Formula christologica Pseudo-Dionysii, uti ex dictis patet, sensu obiectivo et subiectivo interpretari potest. secundum quod Christi activitas vel sensu obiectivo seu rationes sui vel sensu subiectivo seu ratione subiecti, a quo procedit, consideratur.

Omnes auctores hucusque allati omnino unanimes sunt, quatenus iure merito contra Monothelismum Christi activitatem theandricam minime ut unam sensu physico intelligendam esse extollunt.¹⁷⁷

Omnes fere in notione etiam positiva activitatis theandricae conveniunt, quatenus Christi activitatem sensu tantum obiectivo, seu ratione sui tantum, considerant, atque Pseudo-Dionysium sensu obiectivo accipiendum esse affirmant et terminos concretos formulae ipsius sensu abstracto accipiunt, formula christologica Leonis Magni etiam sensu obiectivo intellecta explicant et operationes utriusque Christi naturae distinctas et inconfusas, sed unitas theandricas esse dicunt.¹⁷⁸

Quae interpretatio obiectiva sensui communi congruit, cum terminus »activitas theandrica« secundum communem modum loquendi duas Christi operationes unitas potius quam unam ex duabus operationibus ut tertiam, mixtam et conflataam vel unum idemque subiectum theandricum secundum diversas et inconfusas naturas variis modis agens significet.

Auctores vero allati Pseudo-Dionysium explicantes, uti vidimus, in activitatis theandricae ambitu decernendo differunt, quatenus v. gr. Sophronius et Maximus Confessor

Christi operationes tantum mixtas theandricas existimant. Martinus vero I. papa non tantum Christi operationes mixtas sed etiam, si non omnes, saltem illas Christi operationes humanas, quae soteriologicae sensu stricto appellari solent. Ioannes Damascenus iterum ratione deificationis obiectivae Christi naturae humanae, tum operationes mixtas, tum omnes operationes humanas. S. Thomas vero, Petavius, Scheeben, Franzelin, Schell, Einig, Janssens, Pohle, Pesch, Diekamp, Lercher et Galtier Christi operationes mixtas theandricas sensu stricto, et omnes operationes humanas qua tales theandricas sensu lato, et quidem, sive ratione deificationis obiectivae, sive ratione deificationis subiectivae, sive ratione utriusque naturae Christi humanae deificationis.

Et dum iuxta Damascenum v. gr. operationes Christi humanae characterem soteriologicum ex deificatione obiectiva naturae Christi humanae, iuxta Billot e contrario omnes operationes Christi humanae iam ex deificatione subiectiva, i. e. ex eo quod a supposito divino Verbi simpliciter sustentatur, characterem soteriologicum derivare dicuntur eademque omnes scilicet operationes humanas utpote soteriologicas, Billot et cum ipso etiam Bartmann, theandricas per excellentiam appellandas esse affirmant.¹⁷⁹

Omnibus hisce auctoribus etiam auctores protestantes Dörner, Bonwetch, Harnack, Krüger et Seeberg adiungere liceat quatenus etiam ipsi Pseudo-Dionysium sensu obiectivo intelligunt.¹⁸⁰

Id tandem aliquando mirandum non est, quia interpretatio formulae Pseudo-Dionysii sensu obiectivo proposita inconsequentia laborat maxima, si operationes Christi tantum mixtas theandricas habet.

Formula enim Pseudo-Dionysii sensu obiectivo accepta, relate ad operationes Christi divinas, necessario, uti vidimus, restringenda est, ita ut in Christo operationes pure divinae et theandricae distinguendae remaneant.

Et operationes theandricae hoc in casu duplicis sunt ordinis, i. e. illae Christi operationes divinae, in quibus patrandis Christus natura sua humana utebatur et omnes reliquae operationes humanae qua tales.

Quibus positis in formula christologica Pseudo-Dionysii sensu obiectivo explicata evolutio quaedam notanda est, quatenus activitatis theandricae ambitus sub influxu formulae Leonis Magni sensu obiectivo acceptae decursu temporis, tum dependenter, tum etiam independentem a Pseudo-Dionysio magis magisque extendebatur, ab activitate Christi mixta usque ad omnes ipsius operationes humanas qua tales.

Si vero Christi activitas ratione subiecti, a quo procedit, consideratur, universa activitas theandrica est, quia omnes Christi operationes tum pure humanae, tum etiam pure divinae tum, uti patet, operationes divinae et humanae unitae ab uno eodemque Christo,

Deo simul et homine, ab uno eodemque subiecto theandrico procedunt.

Terminologia vero interpretationis subiectivae de »una Christi activitate« secundum modum loquendi unam activitatem sensu physico ut tertiam ex duabus mixtam significat.

Nihilominus utraque interpretatio orthodoxa existimanda est, i. e. non tantum obiectiva, sed etiam subiectiva, etiamsi terminologia utitur monophysitica, quia interpretatio subiectiva doctrinam christologicam sensu materiali seu quoad rem omnino orthodoxam continet.

Haec quoque subiectiva interpretatio evolutionem suam habere videtur, prouti ex dicendis patebit.

Utraque igitur formula christologica, tum *Leonis Magni*, tum *Pseudo-Dionysii*, sensu obiectivo et subiectivo explicari potest.

Sensu obiectivo utraque idem significat, i. e. utriusque Christi naturae operationes unitas seu opera utriusque Christi naturae communiione vel cooperatione perpetrata.

Proinde utraque formula etiam quoad Christi operationes divinas, uti patet, restringenda est.

Iam vero iuxta interpretationis obiectivae fautores allatos, tum *Leo Magnus* ipse, tum *Pseudo-Dionysius*, de Christi operationibus divinis sensu restricto et limitato locuti sunt. Ita v. gr. *Leo Magnus* secundum illos »miracula« et »iniurias« ab utraque Christi natura patratas affert, ut naturarum in Christo inconfuse unitarum diversitatem probet.¹⁸¹

Formula vero *Pseudo-Dionysii* sensu subiectivo intellecta Christum Deum simul et hominem, seu unum idemque subiectum theandricum, nativitate miraculosa et activitate theandrica manifestatum significat.

Et formula *Leonis Magni*, sensu subiectivo explicata termino »utraque forma« naturas in uno eodemque supposito inconfuse unitas et operantes vel melius, unum idemque subiectum seu suppositum secundum utramque naturam agens, et termino »quod proprium est« naturarum in uno eodemque supposito inconfuse unitarum opera propria qua talia exprimit.¹⁸²

Christi nempe naturae, etiamsi ratione unius eiusdemque suppositi in communiione mutua extant seu indivisae et unitae sunt, nihilominus opera propria reduplicative qua talia perficiunt.

Quam communiionem vero communiionem in operando subiectivam seu communiionem in essendo denominavimus.¹⁸³

Et uti interpretatio subiectiva formulae *Pseudo-Dionysii* ex terminis concretis et sensu absoluto et exclusivo prolatis, quibus *Pseudo-Dionysius* utitur, et ex fine, quem ipse *Epistola* sua ad *Caium* prosequitur, erui potest, ita etiam interpretatio subiectiva formulae *Leonis Magni* in naturarum Christi communiione in operando, quam ipse sensu absoluto proponit, in scopo, quem *Epistola* sua dogmatica intendit et in exemplis, quae ad thesim

suam contra Eutychen probandam affert, fundari sine ullo dubio potest.

VII.

Verosimile est Theodosianos de una Christi activitate theandrica sensu subiectivo locutus esse.

Hac in parte septima et ultima quaestio nobis solvenda remanet, utrum scilicet verosimilis sit sententia, secundum quam Theodosiani canone septimo Unionis Alexandrinae, a qua Monothelismus saeculi septimi originem duxit, Pseudo-Dionysium sensu subiectivo intellexerint.

Ad eandem quaestionem resolvendam ideologia nobis et terminologia christologica fundamentalis, quam Theodosiani propugnabant, paucis illustranda est.¹⁸⁴

Theodosiani enim, una ex parte, terminum abstractum „φύσις„ et concretum „ὑπόστασις“ cum Cyrillo Alexandrino pro synonymis habent et, alia ex parte, aequae ac Cyrillus toti in eo sunt, ut unitatem et identitatem subiecti seu suppositi divini in Christo contra Nestorianos defendant.¹⁸⁵

Theodosiani nimirum duas Christi naturas negant, quia duas Christi naturas confiteri iuxta ipsos idem est ac Christum in duos Filios seorsim existentes, in duas personas seu duo supposita dividere atque ita Nestorii haeresim profiteri.

Qua de causa Theodosiani definitionem christologicam concilii Chalcedonensis de duabus Christi naturis Nestorianismi arguentes, formula christologica, uti est »una natura Dei Verbi incarnata«, libentissime utebantur, ut ita auctoritate Cyrilli Alexandrini roborati et ducti, tum humanitatem et divinitatem in Christo inconfuse unitam, tum, ut, ante omnia, unum idemque subiectum seu suppositum divinum Verbi in Christo esse ostenderent.

Theodosianorum igitur doctrina christologica fundamentalis, quoad rem seu materialiter considerata, omnino orthodoxa asserenda est, quia terminologia monophysitica, qua in exprimenda ideologia christologica fundamentali utebantur, exclusive sensu antinestorianum accipienda est.

Haec de orthodoxia materiali christologiae fundamentalis a Theodosianis propositae sententia a theologis temporis recentissimi non paucis iam accipitur.¹⁸⁶

Certum est enim ideologiam et terminologiam christologicam Cyrilli Alexandrini ortam et evolutam esse partim sub influxu scholae Alexandrinae, cui Cyrillus adhaerebat, partim sub influxu Nestorianismi, quem tam vehementer impugnabat, ut ubique locorum tum ideologia tum terminologia ipsius univversa spiritum antinestorianum prodat.

Ita etiam consequenter Theodosiani, posteriores eiusdem scholae Alexandrinae asseclae auctoritate Cyrilli Alexan-

drini vehementissimam et longam pugnam, non tantum contra Nestorianos pugnant, sed etiam contra concilium Chalcedonense, quod Nestorianismi accusant.¹⁸⁷

Ut igitur haeresis Nestoriana occasio fuit, qua Cyrillus Alexandrinus christologiam propriam formulis antinestorianis induerit, ita Nestorianismus eiusdem scholae Alexandrinae asseclis Theodosianis, qui sese Cyrilli Alexandrini discipulos aestimabant, ansam dare potuit, ut christologiam et terminologiam a Cyrillo Alexandrino receptam etiam quoad Christi voluntatem et activitatem novis formulis christologicis Nestorianismum refutantibus locupletaverint et quidem eo magis, quod Cyrillus Alexandrinus etiam de »una et eadem Christi activitate per utramque naturam manifestata« locutus sit.¹⁸⁸

Quibus positis Theodosiani consequenter primo »Christum duas esse naturas« negare poterant et »unam naturam Dei Verbi incarnatam« cum Cyrillo Alexandrino sensu scilicet concreto confiteri, quatenus in Christo, »etiamsi ex humanitate et divinitate constat, nullatenus tamen in ipso duo seorsim existentes distinguendi sunt, Deus Verbum scilicet et homo, sed unus idemque Deus simul et homo« agnoscendus.

Ita Theodosiani v. gr. formulam christologicam proponere poterant, iuxta quam »duae Christi voluntates« negantur, quarum una passionem et mortem detrectat, altera desiderat, et »una« conceditur voluntas, quatenus voluntas duorum seu duo volentes in Christo esse negantur, qui relate ad passionem et mortem sibi contrarii essent; quatenus videlicet in Christo duo principia quod volendi negantur et una igitur asseritur voluntas sensu concreto, i. e. voluntas unius eiusdemque et non duorum, unus idemque volens, unum idemque principium quod volendi, Christus scilicet Deus simul et homo, qui voluntate sua divina, i. e. sub influxu voluntatis suae divinae, passionem et mortem amplectitur-voluntate sua humana.¹⁸⁹

Ita Theodosiani etiam formulam christologicam defendere poterant, iuxta quam »duae Christi operationes« negantur »et una Christi operatio asseritur, etiamsi Christus opera divina et humana patrabat«, et quidem sensu iterum concreto, quatenus omnia opera tum divinitatis tum humanitatis nullatenus a duobus operantibus, sed ab uno eodemque operante, uno eodemque Christo Deo videlicet et homine peraguntur.¹⁹⁰

Quo in casu Theodosiani una ex parte unum eundemque Christum Deum et hominem ut unum idemque principium quod activitatis et altera ex parte divinitatem et humanitatem ut principia quo activitatis in effectibus potius divinitatis et humanitatis affirmarent.¹⁹¹

Immo Theodosiani sub influxu ideologiae et terminologiae christologicae Cyrilli Alexandrini »de una Christi voluntate et activitate divina« loqui poterant si hanc formulam sensu concreto intelligebant et omnes Christi volitiones et operationes,

tum divinas, tum etiam humanas, a Christo, utpote ab uno eodemque supposito divino, procedentes considerabant.

Quae omnes formulae christologicae hisque similes terminologia quidem monophysitica sed concreta exprimuntur, at ideologiae et terminologiae christologicae Cyrilli Alexandrini optime adiungi possunt.¹⁹²

Quaestio nunc exoritur, utrum Theodosiani etiam Pseudo-Dionysii formulam sensu subiectivo intellexerint.

Praesupposita vero doctrina christologica fundamentali, prouti a Theodosianis seu Severianis et Themistianis defendebatur, iam a priori verosimilis apparet sententia, iuxta quam ipsi etiam Pseudo-Dionysium canone septimo Unionis Alexandrinae sensu subiectivo intelligere poterant.

Una est et quidem divina — ait Theodosius patriarcha Alexandrinus ad Theodoram Augustam — utriusque (essentiae Christi) operatio, quoniam unius et eiusdem esse dicimus et divina miracula et omnes naturales et irreprehensibiles passiones, quas pro nobis propria carne sponte passus est.¹⁹³ Sancti Patres — prosequitur Theodosius — unam esse in ipso (Christo) operationem et voluntatem secundum eius divinitatem et secundum eius humanitatem praedicaverunt.¹⁹⁴

Sancti Patres — insurgit Themistius diaconus Alexandrinus contra Theodosium, patriarcham Alexandrinum — unam absolute esse dixerunt operationem et non sicut iste de divina tantum loquuntur operatione, aut alteram humanam sic insinuant, quatenus ab uno eodemque Christo omnia perpetrata... divina et humana, unam omnino, uti dixi, operationem dicunt.¹⁹⁵

Activitas Christi omnium divinarum et humanarum operationum — ait Themistius ad Marcellinum, presbyterum quendam et Stephanum diaconum — non erat alia et alia (duorum), sed una atque eadem, utpote unius eiusdemque existens. Et hac de causa Areopagita ipsam theandricam nominavit.¹⁹⁶ Beatus Severus — ait Themistius — contra Colluthum quendam, qui Theodosium defendebat — eo quod Christus alia divino, alia vero humano modo operabatur, activitatem theandricam, minime vero divinam tantum praedicabat.¹⁹⁷ Si ipsa (operatio) — ait Themistius ad eundem Colluthum — divina tantum et non theandrica, Christus secundum nos (secundum naturam humanam) nihil operatus est.¹⁹⁸

Verbum divinum — ait Theodosius iterum ad Theodoram Augustam — propria sibi faciens, quae carnis sunt; carnem suam naturae suae operatione exornat; quo fit, ut caro per unionem cum Verbo Dei divina operatione instruat; quod quidem animatam carnem ipsi inconfuse et immutabiliter unitam esse demonstrat.¹⁹⁹ Huius sensus — defendit Colluthus Theodosium contra Themistium — Theodosius unam divinam operationem asserit, non ad differentiam eorum, quae perficiuntur, inspicens, sed ipsam virtutem operativam Salvatoris innuens.²⁰⁰

Uti ex paucis hisce textibus ex concilio Lateranensi et Constantinopolitano III. (oec. VI.) desumptis colligitur, inter Theodosium et Themistium praeter quaestionem de scientia animae humanae Christi etiam quaestionem de activitate Christi motam esse.²⁰¹

Theodosius patriarcha Alexandrinus etenim unam Christi activitatem divinam docuit. Cum autem idem Theodosius in Christo opera secundum divinitatem et secundum humanitatem patrata rite distinguat, formula eius de Christi una et quidem divina activitate sensu subiectivo seu antinestoriano accipienda esse videtur, quatenus scilicet Theodosius eandem formulam aptissimam habuit ad unum idemque suppositum divinum Verbi in Christo secundum divinitatem et secundum humanitatem operantis contra Nestorianismum extollendum.

Qui modus loquendi de »una« et quidem »divina« Christi activitate Themistio non placuit, quia Christi humanitatem negare videbatur.

Qua de causa Themistius contra Theodosium surrexit et aut simpliciter »unam Christi activitatem« aut »unam Christi activitatem theandricam secundum Dionysium« cum Severo dicendam et credendam esse asseruit.

Themistius enim speciali modo ultimam formulam de »una Christi activitate theandrica« aptissimam habere videbatur, qua, tum unitas atque identitas suppositi in Christo una ex parte, tum etiam divinitatis et humanitatis diversitas alia ex parte, contra Nestorianos, a quibus Theodosiani de Apolinarismo arguebantur, exprimeretur et defenderetur.²⁰²

Et haec formula de una Christi activitate theandrica sensu subiectivo intellecta tanquam formula ipsius Pseudo-Dionysii etiam victoriam obtinuisse videtur, quatenus Theodosiani capite septimo Unionis Alexandrinae accepta concilii Chalcedonensis de duabus naturis definitione, nihilominus Christum opera divina et humana una activitate theandrica secundum Dionysium operari confessi sunt.²⁰³

Theodosiani nimirum in Pseudo-Dionysii formula propriam ideologiam christologicam perspicere poterant, si hac formula unum idemque subiectum theandricum nativitate miraculosa et activitate theandrica exhiberi declarabant.

Eandem vero unitatem et identitatem subiecti seu suppositi theandrici in Christo Theodosiani Nestorianos impugnantes in Christi voluntate et activitate quam maxime exhiberi sine ullo dubio putare poterant.

Quid igitur mirum, si Theodosiani Pseudo-Dionysii formulam sensu subiectivo intellexerunt et propria etiam terminologia perfecerunt et expresserunt atque unam Christi activitatem theandricam in eum finem proposuerunt, ut duas Christi operationes, id est duas in Christo operationes per se existentes seu duo operantes, duo principia quod operationis non esse contra Nesto-

rianos ostendant sed unam operationem, operationem scilicet unius eiusdemque subiecti seu suppositi theandrici ut principii quod, Christi scilicet Dei simul et hominis, qui tum secundum humanitatem, tum secundum divinitatem operatur.

Quae si probari poterunt, Pseudo-Dionysii formulam a Theodosianis quoad rem corruptam non esse sequitur, quia Theodosiani hoc in casu eam formulam sensu subiectivo interpretati sunt et propria terminologia adaequate expresserunt.²⁰⁴

Et ita formulam Pseudo-Dionysii etiam sensu subiectivo explicatam evolutioni subiectam esse apparebit.

Uti auctores vero citati, qui Pseudo-Dionysium sensu obiectivo et antimonophysitico accipiunt, ad eandem explicationem sub influxu formulae christologicae Leonis Magni sensu obiectivo intellectae pervenerunt, ita etiam Theodosianos ad suas de Christi voluntate et activitate formulas christologicas antinestorianas sub influxu ideologiae et terminologiae christologicae Cyrilli Alexandrini pervenisse dicemus.

Quapropter Pseudo-Dionysii formulae interpretatio obiectiva etiam interpretatio antimonophysitica denominari potest, et interpretatio subiectiva, quae opinione nostra a Theodosianis defendebatur, interpretatio antinestoriana appellanda erit.

Attamen modus loquendi de una Christi activitate theandrica, uti supra iam monuimus, reiiciendus est et erat, quia usui communi contradicit, et quidem eo magis, quod posita definitione concilii Chalcedonensis de duabus Christi naturis etiam duae Christi voluntates et duae operationes admittendae erant.

Simili quoque modo — ait Billot — manifestum, quod ad infallibilem eorum, quae fidei sunt, propositionem multoties exigitur determinatio infallibilis circa facta extra ambitum revelationis existentia... Puta, determinatio circa talem editionem sive versionem. An sit conformis originalibus Scripturis et hac de causa authentica... Item... determinatio circa hanc vel illam loquendi formam, an sit idonea ad exprimendum dogma. Nam quid ad me, quod infallibiliter sentias, si id, quod infallibiliter sentis, potes fallibile exprimere?²⁰⁵

Qua de causa Ecclesia semper tota in eo erat, ut veritates christianae credendae etiam rite exprimerentur.²⁰⁶

Nihilominus formulam christologicam de una Christi activitate theandrica sensu subiectivo explicatam quoad rem, orthodoxam esse dicimus uti etiam ideas christologicas fundamentales, quas Theodosiani profitebantur, orthodoxas esse etiam nos probavimus.²⁰⁷

Quae omnia si ita esse probantur, Pseudo-Dionysii formula christologica sensu subiectivo interpretata novam nobis aperire viam et novam nobis afferre lucem capax erit in historia Monothelismi saeculi praesertim septimi, qui ex Unione Alexandrina originem duxit quique in concilio Constantinopolitano III. (oec. VI.) damnatione Monothetarum nec non et Honorii I. pape finivit.

Quibus omnibus positis Theodosianorum seu Severianorum et Themistianorum integram oportet videre tum ideologiam tum terminologiam christologicam speciali respectu habito ad eorum doctrinam de voluntate et activitate Christi, ut diiudicare valeamus, quonam sensu iidem, sub influxu Cyrilli Alexandrini et Pseudo-Dionysii Areopagitae unam et eandem Christi voluntatem et activitatem, unam et eandem voluntatem et unam activitatem Christi theandricam proposuerint, et quonam sensu, consequenter, iidem cum suis discipulis et asseclis, Monotheletis scilicet saeculi septimi, Theodoro Pharanitano, Cyro, Sergio, Pyrrho, Petro, Paulo et aliis nec non cum Honorio I. papa in concilio Constantinopolitano III. oecumenico VI. damnati sint.

Sed haec ad tertiam, et ultimam, uti initio diximus, quaestionem praevidiam ad Novam Apologiam Honorii I. papae remittimus. —

Notae

¹ Bogoslovska Smotra, Zagreb, 1919, 27—37; 81—90; 1927, 44—52; 165—170. — Syn. Lat. Mansi, X, 894, 902, 982, 987; Syn. Cstplt. oec. VI, Mansi, XI, 222, 346, 354, 359, 635; 684—686.

² καὶ τὸ λοιπὸν, ὃ κατὰ Θεὸν τὰ θεῖα δράσας, ὃ τὰ ἀνθρώπεια κατὰ ἀνθρώπων, ἀλλ' ἀνθρωθέντος Θεοῦ, καινὴν τινα τὴν θεανδρικὴν ἐνεργεῖαν ἡμῖν πεπολιτευμένος. Migne, P. gr. 3 (1), 1072. Dicimus Pseudo-Dionysium, quia epistola ad Caium monachum Dionysii Areopagitae, S. Pauli discipuli et episcopi Atheniensis, non sit, sed, prouti infra magis patebit, scriptoris cuiusdam, qui sub finem saeculi V. vel initio saeculi VI. in Syria vixit. — »Unus tamen ex omnibus Graecis auctoribus« animadvertit Petavius, »quantum quidem meminisse possum, singulare nomen commentus est, quo utraque natura constantem personam exprimeret, Caesarius Dialogo tertio, in Responsione ad quaestionem 133. ac *θεάνδρον* appellavit«. (De theologicis dogmatibus, Venetiis, 1747, t. IV, l. VIII. c. X, 357). In libro enim, qui »Caesarii... fratris Gregorii theologi Dialogi quatuor« inscribitur, haec leguntur: »Nec Deus, nec homo seorsum. Nudus enim homo nos salvare non potuisset, Deus vero nudus pati nequit. Quamobrem fecit hoc unus ex ambobus (utroque), per concursum et unionem naturarum ex perpetua Virgine natus, ille Deus-homo (*θεάνδρος*) qui, nihilominus, quod erat, servavit«. (Migne, P. gr. 38, 1035—1036). »Verum«, adiungit Petavius, »suppositus est Caesarius iste et in plerisque parum probatus«. (Ib., 357). — Idem asserit etiam Bardenhewer (Patrologie, Freiburg B., 1910, 253).

³ ... καὶ τὸν αὐτὸν ἓνα Χριστὸν καὶ υἱὸν ἐνεργούντα τὰ θεοπεπῆ, καὶ ἀνθρώπινα μὲν θεανδρικῆ ἐνεργείᾳ κατὰ τὸν ἐν ἁγίοις Διονύσιον. Mansi, XI, 565. — Cfr. dissertationem nostram: »Celebris Cyrilli Alexandrini

formula christologica de una activitate Christi in interpretatione Maximi Confessoris et recentiorum theologorum. Prima quaestio praevia ad Novam Apologiam papae Honorii I. (Ephemerides theologicae — Bogoslovska Smotra, Zagreb 1926, 56—102). Cyrus eandem Unionem cum Theodosianis factam esse ait. (Epistola Cyri ad Sergium, Mansi, X, 562.) Ita etiam Sergius in Epistola ad Cyrum (Mansi, X, 971—974). Iuxta Sergium Cyrus »modeste adhortatus est eos, qui in magna civitate Alexandrina Eutyche- tis, et Dioscori, Severi quoque, et Juliani, Deo odibilium, haeresi languerent, ad catholicam ecclesiam accedere«. (Epistola Sergii ad Honorium, Mansi, XI, 531). Theodosianos Acephalos vocant Martinus I. papa (Sessio I. conc. Lat., Mansi, X, 871), Sophronius (Epistola synodica, Mansi, XI, 483, 502—503) et Agatho papa (Epistola ad Constantinum imperatorem, Mansi, XI, 243, 270). — Theodosiani etenim asseclae sunt illius Monophysismi, qui sub nomine Monophysismi Alexandrini, seu potius, Monophysismi Severiani notus est. Cuius Monophysismi asseclae ducibus patriarchis Alexandrinis: Dioscoro, Timotheo Ailuro, Ioanne Telaia et Theodosio; Philoxeno, episcopo Hierapolitano, Severo, patriarcha Antiocheno, Jacobo, episcopo Sarugensi et aliis inde ab unione, quam Cyrillus Alexandrinus cum Ioanne, patriarcha Antiocheno a. 433. inierat, et praesertim, inde a concilio Chalcedonensi (a. 451.) per integra fere duo saecula, i. e. usque ad Unionem Alexandrinam (a. 633.) christologiam Cyrilli Alex. auctoritate sensu antinestoriano constructam concilium Chalcedonense Nestorianismi arguentes propugnabant. Idem Monophysismus communiter Monophysismus Severianus appellari solet. Etenim Severus ab a. 512. usque ad a. 518. patriarcha Antiochenus, postea Alexandriae profugus vivebat atque doctrinam christologicam sub influxu ideologiae et terminologiae christologicae Cyrilli Alex. sensu antinestoriano et terminologia monophysitica systematice excoluit et magna eruditione et vehementia contra doctrinam christologicam a concilio Chalcedonensi propositam defendebat. Theodosiani igitur asseclae sunt Severi et cum eodem Severo etiam contra Julianum, episcopum Halicarnassensem et Gaianum, patriarcham Alexandrinum eiusque asseclas corporis Christi corruptibilitatem docent. Themistiani seu Agnoetae, a Theodosianis eatenus tantum distinguuntur, quatenus cum Themistio, diacono Alexandrino animae Christi humanae ignorantiam attribuant. Theodosiani etiam Haesitantes (*ἡσυχασταί*) appellantur. (Timotheus, presb., De receptione haeticorum, Migne, P. gr. 85/I, 52, 65). Krüger animadvertit: »...was nicht mit Zögernde — nämlich das Konzil (sc. concilium Chalcedonense) anzuerkennen — sondern mit »sich Absondernde« zu übersetzen ist...« (Realen-cyklopädie für protestantische Theologie und Kirche, Leipzig, 1903. 13, 399.). Theodosiani denique etiam Acephali appellantur, quatenus scilicet Theodosianorum praedecessores a. 482. edictum Henoticon a Zenone, imperatore editum et a Petro Mongo, patriarcha Alexandrino subscriptum et aliis ad subscribendum propositum reiecerunt atque ita se a capite suo Petro Mongo patriarcha separaverunt.

— De Monophysismo Severiano cfr. Junglas, *Leontius von Byzanz*, Paderborn, 1908; Lebon, *Le Monophysisme Sévérien*, Lovanii, 1909; *Opusculum nostrum De Agnoëtarum doctrina*, Zagreb, 1914; Tixeront, *Histoire des dogmes*, Paris, 1922, III, 117—129.

⁴ Mansi, XI, 535, 684; Schwane, *Dogmengeschichte*, Freiburg, 1895, II, 376—410; Weiss, *Historia ecclesiastica, Græcii et Viennae*, 1907, I, 361—373; Marx, *Lehrbuch der Kirchengeschichte*, Trier, 1919, 179—185; Knöpfler, *Lehrbuch der Kirchengeschichte*, Freiburg, 1919, 187—191; Tixeront, *Op. c.* 160—192; Schmidt, *Grundzüge der Kirchengeschichte*, Mainz, 1925, 93—96. Kirsch, *Kirchengeschichte*, Freiburg 13, 1930, I, 671—691. — Cfr. etiam alios fere innumeros libros cum dogmaticos tum historicos uti etiam monographias speciales, quae de ortu, evolutione et fine Monothelismi agunt.

⁵ Cfr. partem V. huius dissertationis.

⁶ Mansi, X, 982.

⁷ Mansi, X, 982.

⁸ Mansi, Ib.

⁹ Mansi, X, 894.

¹⁰ Mansi, X, 902.

¹¹ Mansi, X, 871.

¹² Mansi, X, 979.

¹³ Mansi, X, 979. Martinus I. papa prae oculis habet Epistolam Sergij ad Cyrum, in qua Sergius Cyrum propter Unionem Alexandrinam laudat et adiungit: »Asseruistis igitur... confiteri... eundem unum Christum operari divina et humana una activitate, quia omnis divina et humana operatio ab uno eodemque Verbo procedebat«. (Mansi, X, 973—974). — Idem Leo Magnus in Epistola sua dogmatica ad Flavianum, patriarcham Constantinopolitanum teste Sergio docet verbis: Operatur utraque forma cum alterius communione...« (Mansi, X, 973—974; V, 1375—1376.) — Sed una Christi activitas et una Christi activitas theandrica neque ullo modo differunt atque plane idem significant — uti ex infra dicendis patebit — si sensu subiectivo sumitur. Qua de causa quaestio nobis solvenda est, utrum Sergius loco citato sensu subiectivo loquatur.

¹⁴ Mansi, X, 1010; XI, 571.

¹⁵ Mansi, X, 987.

¹⁶ Mansi, XI, 222.

¹⁷ Mansi, XI, 346.

¹⁸ Mansi, XI, 354.

¹⁹ Mansi, XI, 359.

²⁰ Mansi, XI, 272—274.

²¹ Mansi, XI, 635.

²² Mansi, XI, 684—685.

²³ Cfr. Notam 2.

²⁴ De nominibus divinis, Migne, P. gr. 3, 585—597.

²⁵ De mystica theologia, Migne, Ib., 997—1064.

²⁶ De chierarchia coelesti, Migne, Ib., 119—370; De ecclesiastica chierarchia, Migne, Ib., 370—584.

²⁷ Migne, Ib., 1065—1122.

²⁸ Ex copiosissima literatura, quam de Pseudo-Dionysio prae oculis habuimus, notamus: a) Editiones: Morelius G., Dionysii Areopagitae opera omnia... Parisiis, 1562; Lansellius Petrus, S. I., Sancti Dionysii opera omnia..., Lutetiae Parisiorum, 1615; Corderius B., S. I., Opera S. Dionysii Areopagitae cum Scholiis S. Maximi et Paraphrasi Pachymerae... t. 1—2., Antverpiae, 1634; Eiusdem auctoris, Sancti Dionysii Areopagitae operum omnium quae extant... t. 1—2., Lutetiae Parisiorum, 1644; Sancti Dionysii Areopagitae opera omnia... t. 1. Venetiis, 1755. et t. 2. Venetiis 1756. Postremo loco memorata editio Venetiis edita a Migne, P. gr. t. 3—4. assumpta est; b) Versiones: Engelhardt, I. G. V., Sulzbach, 1923, t. 1—2; Storf Q., Bibliothek der Kirchenväter, Kempten, 1877; Storf Q. — Stiglmayr Joseph, S. I., Bibliothek der Kirchenväter, Kempten, 1911; Darbois G., Paris, 1845; Dulac J., Paris 1865; Colet I. — Lupton, J. H. London 1869; Rolt C. E., Dionysius the Areopagite, on the Divine Names and The mystical Theology, London, 1920; c) Commentarii: Maximus Confessor, Migne, P. gr. 4. et 91; S. Thomas Aqu., Ed. Leonina, t. 29. Romae, 1882; Dionysius Rickel Carthusianus (1402—1471), Coloniae, 1536, 1556, Tornaci, 1902. Hersentius Carolus, Parisiis, 1626., Joseph a Spiritu Sancto, Carmelita discalceatus Lusitanus (1609—1674), Enucleatio mysticae theologiae S. Dionysii Areopagitae, episcopi et martyris, Editio critica a P. Anastasio a. S. Paulo... exarata Romae, 1927; Monographiae et articuli: Hipler, Fr., Dionysius der Areopagite, Untersuchungen über Echtheit und Glaubenswürdigkeit der unter diesem Namen vorhandenen Schriften, Regensburg, 1861; De theologia librorum qui sub Dionysii Areopagitae nomine feruntur, Braunsberg, 1871, 1874, 1878, 1885; Schneider C. M., Areopagitica, Die Schriften des heiligen Dionysius von Areopag, eine Verteidigung ihrer Echtheit, Regensburg, 1884; Foss R., Ueber den Abt Hilduin von St. Denis und Dionysius Areopagita, Berlin, 1885; Jahn A., Dionysiaca, sprachliche und sachliche platonische Blütenlese aus Dionysius, dem sog. Areopagiten, zur Anbahnung der philologischen Behandlung dieses Autors, Altona, 1889; Siebert O., Die Metaphysik und Ethik des Pseudo-Dionysius Areopagita... Jena, 1894; Stiglmayr, Das Aufkommen der Pseudo-Dionysischen Schriften und ihr Eindringen in die christliche Literatur bis zum Laterankonzil 649. (Jahresbericht des öffentl. Privatgymnas. Stella Matutina zu Feldkirch, 189 5,1—96); Der Neoplatoniker Proklus als Vorlage des sogenannten Dionysius Areopagita in der Lehre vom Uebel. (Historisches Jahrbuch der Görres-Gesellschaft, München, 1895, 253—273; 721—748); Koch H., Der pseudepigraphische Charakter der Dionysischen Schriften, (Theologische Quartalschrift, Tübingen, 1895, 353—420); Parker J., Are the Writings of Dionysius the Areopagita genuine? London, 1897; Stiglmayr, H'elt Photius die sogen. Areopagitischen Schriften für echt? (Jahrbuch d. G. G., München, 1898, 91—94); Koch H., Zur Areopagitischen Frage, (Römische Quartalschrift für christliche Altertumskunde und für Kirchengeschichte, Rom. 1898, 361—398); Nirschel J., Dionysius der Areopagita, (Der Katholik, Mainz, 1898, 267—278; 348—365; 432—452; 532—557); Stiglmayr, Die Ehrenrettung des Dionysius Areopagita, (Historisch po-

litische Blätter München, 1898, 650—661); Die Kommentare des Karthäusers Dionysius Rickel zu den areopagitischen Schriften, (Zeitschrift für kath. Theologie, Innsbruck, 1903, 148—151); Krüger G., Wer war Pseudo-Dionysius? (Byz. Zeitschrift, Leipzig, 1899, 302—305); Langen J., Dionysius von Areopag. und die Scholastiker, (Revue internat. de Théologie, Bern, 1900, 201—208); Koch H., Pseudo-Dionysius Areopagita in seinen Beziehungen zum Neuplatonismus und Mysterienwesen, (Forschungen zur christlichen Literatur- und Dogmengeschichte, Mainz, 1900, I. B. 2. und 3. Heft., 1—276); Wertz H., Die Gotteslehre des Pseudo-Dionysius Areopagita und ihre Einwirkung auf Thomas von Aquin, Köln, 1908; Stiglmayr, Eine syrische Liturgie als Vorlage des Pseudo-Areopagiten, (Ztschft f., kath. Theol. 1909, 383—385); Peeters P., La vision de Denis l'Aréopagite à Héliopolis, (Analecta Bollandiana, Bruxelles, 1910, 302—322); Wertz, Die Gotteslehre des sog. Dionysius Areopagita, (Theologie und Glaube, Paderborn, 1912, 637—659; 749—760; 1914, 812—831); Ghelinck J., La traduction de Denis l'Aréopagite par Hilduin et par Jean Scot, Le mouvement théologique du XII siècle, Paris, 1914, 70—72; Seeberg R., Grundriss der Dogmengeschichte, Leipzig, 1919, 60—62; Durantel J., St. Thomas et le Pseudo-Denis, Paris, 1919; Grabmann M., Pseudo-Dionysius Areopagita in lateinischen Übersetzungen des Mittelalters, (Beiträge zur Geschichte des christlichen Alterthums... Festgabe für A. Ehrhard, Bonn, 1922); Seeberg R., Lehrbuch der Dogmengeschichte, Erlangen-Leipzig, 1923, 315—321; Théry P. G., Contribution à l'histoire de l'aréopagitisme au IX siècle, (Moyen Age, Paris, 1923, 3—13); Hilduin et la première traduction des écrits du Pseudo-Denis, (Revue d'histoire de l'Église de France, 1923, 23—40); Lehmann P., Zur Kenntnis des Dionysius Areopagita im Mittelalter (Revue Bénédictine, 1923, 81—97); Bardenhewer O., Geschichte der altchristlichen Literatur, Freiburg B., 1924, 4, 282—300; P. Godet, Dictionnaire de théologie catholique, Paris, 1924, 429—436; Feder A., Des Aquinaten Kommentar zu Pseudo-Dionysius' De Divinis nominibus, (Scholastik, 1926, 321—351); Stiglmayr, Ascese und Mystik des sog. Dionysius Areopagita, (Scholastik, 1927, 161—208); Der sog. Dionysius Areopagita und Severus von Antiochien, (Scholastik, 1928, 1—28); 161—190; Reichstätter K., Der »Vater der christlichen Mystik und sein verhängnisvoller Einfluss, (Stimmen der Zeit, 1928, 241—259); Lebon, Le Pseudo-Denis l'Aréopagite et Sévère d'Antioche, (Revue d'histoire ecclésiastique, Louvain, 1930); Kirsch, Kirchengeschichte, Freiburg B.; 1930, I, 574; Drexel Fr., Zehn Jahre griechische Patristik 1915—1925, (Jahresbericht über die Fortschritte der klassischen Altertumskunde, Leipzig, 1931, 266—270); Rauschen-Altane, Patrologie, Freiburg B., 1931; 402—407.

²⁹ Mansi, X, 982; Diekamp Fr., Doctrina patrum de incarnatione Verbi, Münster, 1907, Lebon, Le Monophysisme Sévérien, Lovanii, 1909, 451—458; Mansi, VIII, 817—821.

³⁰ Mansi, VIII, 818.

³¹ Migne, P. gr. 4, 15—432; 527—576; 91, 70—111; 345—354; 1031—1060.

³² Edit. Leonina, XXIX, Roma, 1882.

³³ Bardenhewer O., Patrologie, Freiburg B., 1910, 464—465; Rauschen-Altaner, Patrologie, Freiburg B., 1931, 402—407.

